



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vita Venerabilis Arnesti, (vulgò Ernesti) Primi Archiepiscopi Pragensis**

**Balbín, Bohuslav**

**Pragæ, 1664**

De Vita Venerabilis Arnesti Primi Archiepiscopi Pragensis. Liber II. Qui Ejus Vitam in Archiepiscopatu sanctissimè actam, & summum Aulæ Cæsareæ Ministerium exequitur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42763**

De Vita Venerabilis Arnesti  
Primi Archiepiscopi Pragensis.

LIBER II.

Qui

*Ejus Vitam in Archiepiscopatu sanctissime  
actam, & summum Aula Cesarea Mi-  
nisterium exequitur.*



Uiregionum, & terra-  
rum situs, pictosq; mundos, ut ait ille,  
brevi tabellâ aut globo comprehensos  
proponunt, maximum peccatum exi-  
stimant *in Europa*, proximoque mari,  
& apertis regionibus describendis er-  
rare; cætera, quæ ultra habitabiles  
terras, & ultra humanitatem porri-  
guntur, aut aliàs ignota sunt, suisque deque habent. Itaque nescio  
quam *Terram Fuego*, aut desertum aliquod, aut *mare glaciatum*  
annotant in margine, monstruosas item hominum, & animantium  
facies

Tibullus



facies ac formas nobis depingunt, & novitatis audaciâ placent: Nam quis ea quæ nemo sinè periculo scire potuit, ab Authore requirat? Adeat, si quis cupit refellere; at in rebus domesticis notandis, & orbe nostro, pro inexcusabili errore accipitur, & implacabiles sunt lectores. Eandem ego apud Lectores meos veniam spero: nam quæ *Arnestus* ad *Episcopatum* usque gessit, ignota, & quasi uno mari non adeunda, removit *Antiquitas*; terris & urbibus recedentibus, omnia ex oculis fugerunt; at quæ sequuntur, in publica *Aularum*, & hominum luce gesta, temporibus suis ac locis distincta, quamvis magno labore, multisque codicibus vetustissimis pervolutis, collecta tamen sunt, ut jam ex ultima barbaria, & transmarinis Regionibus, ad humanitatem & hominum cætum, cum æstivis avibus reverti me putem. Quanquam & in his præstare culpam omnem non possum; alienâ autoritate nitor, & velut in fabulis, horti nescio cujus servatrices Virgines, oculum, sic ego mutuum ab Antiquitate lumen accepi; alienis oculis video, alienis auribus audio.

Joannes Pragensis Episcopus,  
 An. 1342. 1342. ejus nominis Quartus, à Virtute commendatissimus Præsul, moritur; cui, consensu omnium, *Arnestus* sufficitur, & Avenione in Gallijs consecratur.

## CAPUT I.

**A** Nno 1342. octavo post Innocentium Martyrum memoriam die, *Joannes Episcopus Pragensis*, septimus & vicesimus,



mus, ad retributorem bonorum omnium DEVM, ut Pontanus loquitur, evolavit è vita; dignus omni præconio Præful, qui difficilem successoribus suis in certamine virtutum palmam reliquerat, nisi successorem *Arnestum* habuisset; cuius virtute, virtutis prioris, & fama & gloria oppressa, & penè extincta est. Non erit abs re paucula quædam ex ejus gestis delibare, nè eos imitari videamur, qui ad moti gubernaculis (pessimo & invidioso consilio) antecessorum suorum acta reprehendendo, Magistratum auspicantur. *Ioannes* igitur Episcopus, Divinæ Matris *Cænobium Canonicis Regularibus S. Augustini* excitavit *Raudnicij*; ibidem pauperes viatores, in *Albis* trajectu periclitantes, &, ob inopiam aris, aliò versos, miseratus, solidum è grandi lapide *super Albim Pontem* exstruxit, cui, post Pragensè, soliditate parem, in Bohemia vix invenires, hodie ruinas ingentes minasque videmus. Addidit pius Præful ad Pontem *Nosocomium*, & *Hospitalem* pauperibus domum, in quam recepti, omnibus humanæ vitæ solatijs recrearentur. Tres *Præbendas*, ut vocant, Ecclesiæ Pragensi adjecit, Altaria item duo; alterum *sancto Sylvestro Papa* (ante quod altare humatus est) alterum *S. Marthæ*, sacerdotio divite, utrobique fundavit; in quam sanctissimam Virginem præcipuo semper amore ferebatur, ejusque sacrum diem, publicè toto regno à populo, ut festivissimum lætissimūque, coli voluit. *S. Adalberti tumulum* deinde sibi sumisit ornandum, omnemque argenteis lamellis, & clypeis labore ingenioso, materiæque & arte pretioso, communivit & rexit; quem postea modum, nobili inventione delectati Bohemiæ Proceres, in ornando *S. Wenceslai sepulchro* tenuerunt. Sed illud imitatione Præfulum dignissimum (quod pietatis genus alibi legisse non memini) *vorum* flexo genu in limine *Pragensis Ecclesiæ* ediderat, quo amplificaturum se, quibus posset modis, *Ecclesiæ* suam, & *SS. Patronorum* honores & gloriam, promisit; eo quidem voto *Principem Pastorum Christum* exprimere voluisse visus est, qui, ut *pararet sibi sponsam Ecclesiæ*, nec sanguini, nec vitæ pepercit. Huic ergo tanto, tamque laudato Præfule, cum par successor quæreretur, oculis omnium in unum *Arnestum* coniectis,

L

S. Spiri-

Pontanus in  
Bohemia Pise  
in Joanne IV.

Ioannis Episcopi, qui  
Arnestum  
antecessoribus  
magnæ virtutes, ac præcipue  
Miscricordia.

Dubrav. Episc.  
Olem. hist. Boh.  
l. 21.

Pontanus hist.  
Boh. l. cit.

Ioannis Episcopi in  
suam Ecclesiæ  
mirus amor.



Lypac. Pontanus, Hagek. Chronicon M. S. Glacense. Dubrav. VV. Istav. loci saepe citati & citandi. Arnestus eligitur & nominatur Episcopus. Pontanus in Arnesto. Hagek. Anno 1342.

Dubrav. hist. Bohem. l. 21.

Arnestus Avenionem proficiscitur.

Historia Monasterij Sedlecensis An. 1342. Hagek. eodem Anno.

Clemens VI. amator Bohemorum appellatus.

Arnestus consecratur Episcopus in Gallia.

*S. Spiritus* ope cælitus evocatâ, decimo quarto Januarij, *S. Hilarij* die, concordibus omnium omnino (ut manuscripta notant) Canonorum votis, *Arnestus*, Ecclesiæ Pragensis pridem antè Decanus, *Episcopus* nominatur. Cùm repugnare cepisset, & nescio quam imbecillitatem & insufficientiam, ut ita dicam, obtenderet, responsum est, eò aptiorem omnibus visum iri, quò magis dignitatem excusaret. *Pontanus* neminem de *Arnesto* eligendo dubitare potuisse, ait; *virum enim fuisse multis nominibus commendatum*; apertius *Hagecius* ob Nobilitatem, vitæ sanctimoniam, & insignem doctrinam, tum ob humanitatem, & paratissimum mitèmq; in omnes animum, atque insuper, ob morum gratiam, formæ dignitatem, ac staturam corporis altam, & regiam, antepositum omnibus scribit. Regi quoque *Ioanni* non displicuisse eam Electionem constat; at *Carolus Princeps* exsilire gaudio, cùm animæ suæ Patrem amplissimâ dignitate ornatum, & publicum Cleri universi iudicium congruere cum suo videret. Una consecratio desiderabatur, quæ cùm ad *Archiepiscopum Moguntinum Metropolitam*, de jure spectaret, isque *Ludovici Bavari Cæsaris* (in quem anathema tres Pontifices Romani dixerant) partes sequeretur, eâque dignitate, per Societatem Cæsaris, excidisset, nimirum ad *Clementem VI. Pontificem Avenionem in Galliam*, ubi tum versabatur *Arnestum* proficisci oportuit. Erat is Pontifex ex Gallica gente, Bohemo nomini universim amicissimus, adeoque benevolus, ut se *Bohemorum Patrem* gauderet appellari; nemo, nè quidem peregrinus inops, aut viator, si modò è Bohemia venire se diceret, arcebatur conspectu. Statim inter aulicorum manus (qui Dominorum mores imitari præcipuam Aularum artem putant) ad *Pontificem Clementem* admissus, lætè exceptus, interrogationibus de Bohemia fatigabatur; lætè deinde habitus, impetratis quæ petebantur, donis insuper auctus, revertebatur ad suos. Quântâ jam significatione amoris *Arnestum* à summo Pontifice putamus exceptum? & fortasse jam antè aut commendatione studiorum Italicorum, aut famâ sanctimonix præeunte, & quòd in Aula Romana pridem vixerat, à Pontifice noscebatur, & amabatur.



batur. Statim negotium *Cardinali Portuensi* datum, à quo consecratus, litterisque Apostolicis munitus, bonâ Pontificis voluntate, discessit. Nemo hoc loco ambitum aliquem in *Arnesto*, & volatum ad gloriam & cupiditatem suspiceretur; satis, quantum honores timeret ac fugeret, reliqua viri vita, & quæ de ejus humilitate postea dicemus, ostendent. Episcopos, dum consecrantur, semel iterumque *Nolo, Nolo*, tertio tandem *Volo*, dicere Carimoniarum libri significant; scio *Arnestum* etiam tertio *Nolo* dicturum fuisse, nisi vocationis auspiciis, Majorum imperium, & certissima Divinæ gloriæ spes præcessisset. Sperabant certè de *Arnesto* maxima summi minimique, reditusque ejus *Pragam* triumpho similis fuit: Procul occurrit *Joannes Rex* cum filiis, totaque Nobilitate; Clerus & populus celebrem supplicationem adornavit, tantoque populi amore, ut habet scriptor, salutatus est, ut se parentem publicum, & privatim quisque suum excipere arbitrarentur. Prima *Arnesto* Ecclesiarum cura: *Templum Parochiale S. Egidij Prage*, magnificentum in primis, *Joannes Episcopus* inchoarat, mors opus abruptit; *Arnestus* aggressus absolvit, additâ turri elegantissimâ & altissimâ (nam turritis operibus delectari *Arnestum* solitum tradunt) quam deinde fulmen prostravit; hujus ædificationis argumento hodièque Episcopi utriusque (*Joannis & Arnesti*) gentilitia insignia in Propylæo Templi spectantur. Sed majus illud, cui operi æternitas quærebatur, quod *Arnesti* consilio, in *DEI Matris* honorem, *Princeps Carolus Moravie Marchio* architectatus est: altissimam quandam, & spatiosam domum; Cathedrali Ecclesiæ adjectam, magnâ substructionum mole, eduxit, attributisque liberalissimis, quæ Principem decerent, censibus, Collegium quatuor & viginti Clericorum instituit (Sacerdotes duodecim, sex Diaconi, totidem Subdiaconi, veteri Ecclesiæ ritum fuerunt) eorum unica cura, divina officia in *S. Viti* templo peragere, manè in aurora unum de *B. Virgine* sacrum canere & cantu respondere; quod institutum *Arnestus* primùm litteris, deinde *Papa Clemens*, Bullis editis, confirmarunt. Atque hinc ortum habet vetus illa apud historicos traditio, *Arnestum* authorem esse

*J. 4. cap. 7.*

*Durandus de Ribus. De signatu Abulensis in lib. 2. Reg. fol. 91.*

*Arnestus è Gallia rediens Processione Regis & populi excipitur.*

*Hagek. Ann. 1343.*

*Arnestus Templum S. Egidij Prage absolvit.*

*Sacerdotum Collegium in Metropolitana Pragensi Ecclesia fundatum.*

*Arnestus*  
*Arnestus*  
*Arnestus*  
*Arnestus*



per Bohemiam Sacri Matutini sub Auroram (quod *Maturam* vocant) canendi, quod in multis Bohemiarum urbibus hodieque bono more servatur. Nimirum etsi *Carolus* fundarit, attribuerunt *Arnesto*, cujus consilio in rebus minimis ac maximis *Carolus* utebatur. Hic idem Annus 1343. quantum *Pontifex Clemens*, quantumque Curia Romana *Arnesto* deferret, ostendit: devincti pridem erant Censuris ab Apostolica sede latis, & sub Ecclesiastico interdicto *gembant*. certi quidam *Polonia* tractus, ac præcipuè *Wladislavien-*  
*sis* Episcopi ditio, quod *Censum* (quem *S. Petri denarium* veteres vocaverunt) pendere nolissent; eam in rem *Clemens Pontifex*, cum tot præstantes virtute *Polonia* Præsules haberet, ante omnes *Arnesto* internuncio uti voluit, de cujus fide, & suavi prudentia omnia sibi pollicebatur, qui *Wladislavien-*  
*ses* saniora consilia secutos in gratiam Ecclesiæ reciperet, Templorumque ac sacrorum faceret potestatem, ut latius in Annalibus Ecclesiasticis narravit *Raynaldus*, ex quo ista descripsi.

Arnestus Legatus Pontificis in Poloniam profectus.

Raynaldus Ann. 1343. N. 40.

## Notæ in Caput I.

**A**rneſtus Episcopus nominatur: de hac Electio-  
*ne sic Lupacius 4. Januarij*: Moritur Joannes Episcopus A.  
 1343. (*Cuthenus 1344.*) Ernestus succedit, vir, ut habet  
*Fabricius*, munificus, & magnæ gravitatis; *Misnensis* quoque  
 Ecclesiæ Antistes, ubi tamen nunquam resedit, &c.

Calendario historico.

### Ob Nobilitatem, vitæque Sanctimoniam.

*Electio Prælati quid habere debeat, copiosissimè & Sanctissimè ostendit Dionysius Richelius in C. 6 Actorum; & quomodo Prælati hoc onus suscipere debeat, Ludovicus de Ponte Tomo 4. de Perfect. tr. 2. Cap. 4.*

Missa martina de B. Virgine & Horæ.

**Manè in aurora Sacrum.** *Prævenit Carolus in hoc Pietatis genere Udalricus de Pabienicz, ex illustri familia Woraczickiorum.*



ezickiorum, qui jam *A. 1334. sub Arnesto (adhuc Decano) Missam*  
 de Beatissima Virgine in *Aurora canendam in Ecclesia Pragensi S.*  
*Viti fundarat, quâ de re plura habes apud Hagekum Anno citato.*  
*Recitabant iidem Clerici Horas Beatissimæ Virginis, ut Carolus*  
*Imperator in vita sua commemorat: recordatus sum, ait, de mira-*  
*culo, seu de visione, quæ in die B. Virginis in Assumptione S. Ma-*  
*riæ in Tarunso mihi contigerat; & ab eo tempore concepì ad*  
*honorem ipsius Gloriosæ Virginis horas quotidie decantandas in*  
*Pragensi Ecclesia ordinare, ita ut de ipsius vita, gestis & miraculis*  
*quotidie nova legenda legeretur. Quod postea factum est, &c.*  
*Tota hæc Visio Caroli, suo loco opportunius adducetur.*

*Carolus Imp.  
 in Vita sua ex  
 edit. Marquar  
 di Erherb.*

*Vide l. 2. c. 10*

Arnestus Episcopus Joannem  
 Regem, bona Ecclesiæ usurpantem, A-  
 nathemate percellit, eâque ipsâ in re,  
 summa Arnesti moderatio. Narra-  
 tur caussa Archiepiscopatus Pra-  
 gensis hoc tempore  
 erecti.

*Aug. 11 41.*

## CAPUT II.

**A**ccidit inter hæc quiddam, cui nisi prudentia *Arnesti* Epi-  
 scopi per *Principem Carolum* occurrisset, in summum  
 respublica Christiana discrimen apud *Bohemos* adduci vi-  
 debatur; narrabo brevissimè, nam ea res Archiepisco-  
 patui

L 3



Ioannis Boh.  
Regis, &  
Nanceri Epif.  
Vvratisl. si-  
multates.

Carolus Imp.  
in Vita sua.

Die Palmariū  
A. 1337.

Schickfus. in  
Annal. Silis.  
l. 1. C. 29. &  
l. 3. C. 1.  
Michon. hist.  
Polon. l. 4.  
C. 23.  
Cramerus hist.  
Polon. l. 12.

Nanceri Epi-  
scopi forti-  
tudo, aut du-  
ritia.

patui erigendo causam dedit: *Nancerus* erat *Wratislaviensis* Episcopus ex Nobilitate *Oppolienſi*, Vir acerrimus, & Ecclesiasticæ libertatis læsæ severissimus vindex; is præterea, *Polonæ* nationis studio, Regi *Bohemiæ Ioanni* infestus, nè Rex (ut caperat) *Silesiam Bohemiæ* conjungeret, omni ope resistebat. Arcem habebat Episcopus ad *Silesiæ* fines, *Mielicæ* nomine; eam Arcem Rex seu vindictâ, seu causam ad irritandum hominem quærens, seu revera quòd *Polonis* (tum hostibus) transitum in *Silesiam* intercludere vellet, tradi sibi petebat, ut tueri *Silesiam* posset; cuius rei necessitatem *Carolus Imperator* in vita sua ostendit. Arcem ab Episcopo negatam, Rex proditione *Henrici Archiepiscopi Wratislaviensis* occupat, imponitque adversus *Polonos* præsidium. Obiecit fortè eo tempore *Henricus* ejus nominis IV. *Wratislaviensis* Princeps sinè liberis, eumque Principatum moriens, confectis ritè tabulis, *Bohemia Regno* donarat. *Ioannes* ut possessionem adiret, *Wratislaviam* venit, ibi in Cœnobio *S. Jacobi* versantem, nihilque tale timentem, *Nancerus Episcopus*, amissæ arcis contumeliâ accensus, aggreditur, *Regemq;* solenni carimoniâ in Procerum & Senatûs Civici coronâ, *Diris* devovet magnâ severitate (nolo dicere acerbitate) verborum. Nihil respondisse Regem aliud ferunt, quàm imprudentem Sacerdotem quærere à quo periret possit; sed ignobili sanguine non decere manus regias inquinari. Senatûm *Wratislavienſem* adeuntem, & miciora consilia Episcopo suo svadentem, eâdem pœnâ & anathemate teneri *Nancerus* pronunciat, jubetque eos cum suo *Regulo* (ita loquebatur) è conspectu facessere. *Reguli* vox ad Regem *Ioannem* properè delata, magis quàm *Execrario* pupugit; quæri ex *Nancero* jubet: qui ita se, contumeliosè *Regulum* appellasset, quem *Regem Bohemiæ & Poloniæ* (eum enim titulum gerebat) Prutenorum victorem, Tartarorum domitorem, & *Cæsaris filium* sciret? respondit *Nancerus*: *Regem non esse, qui in Regno Archiepiscopum non haberet.* Altè in animum Regis penetravit responsum; itaque jam antè Libertari Ecclesiæ gravis, tantâ insuper acerbitate læsus, cum gratiam Anathematis sibi ab Episcopo fieri petiisset, neque obtinisset, veluti si jus-  
tam



stam iram concepisset animo, Episcopum *Nancerum*, & Canonicos urbe ejicit ( non satis sibi tutam esse vitam inter Episcopi infidias caussatus ) neque hoc maleficio contentus, bonis omnibus Canonicos exuit, simulque propositis libellis per omnem *Silesiam* Bona Ecclesiarum à Ducibus jubet occupari. Grata res in vulgus & Optimates, ac *Boleslao Lignicensi Duci* præcipue placuit. Certatim pulsis Sacerdotibus, regnare sibi profani homines videbantur, solidoque quadriennio ditionibus Canonicorum, & optimis Sacerdotijs, uxores & liberos ditaverunt. Moritur interea sanctissimè in exilio *Nancerus Episcopus* A. 1341. cui *Brzetislaus Pohorzelecicus Silesius*, gente Grimalius, vir doctus & probus ( 5. Maij ) absens in studijs *Bononia*, sufficitur; is se non modò successorem dignitatis, sed etiam jurium ratus, litem adversus Regem renovabat; & quamvis *Carolus Princeps* Optimus, *Arnesto* autore, lites omnes finire obedientià tentasset, ac *Wratislavia* publicè coram Episcopo & Senatu *Wratislaviensi*, Patronum se & Vindicem Ecclesiæ professus, omnes Ecclesiæ per *Silesiam* ditiones reddere promississet, *Rex* tamen *Pater* cunctabatur. Anno igitur 1343. à *Brzetislao* Episcopo *Wratislaviensi* in auxilium vocatus *Arnestus*, Regem *Ioannem* ut contumacem, Ecclesiæque communione indignum, anathemate publicè dicto, declarat. Ea tamen res omni contumelià & acerbitate caruit ab *Arnesto*, qui naturà mitissimus, in summa sententiæ severitate, humanissimam quandam rationem invenit, quæ Regem iracundià præcipitem, & ad ultionem quærendam exercitatum, non, quod timebatur & pronum erat, ad desperationem, sed ad factorum pœnitantiam, & quærendam *Rome* misericordiam, flexit. Nam ad hoc tempus Episcoporum stricta in se judicia ridebat; at *Arnesto* accedente, velut jam ore Divino damnatus, quò progressus esset, vidit, & ad causam dicendâ cum Filio *Carolo* Romam abiit, non modò non iratus *Arnesto*, sed benevolus, & ad honorandam ejus virtutem novâ aliquâ dignitate, ut mox dicam, benè animatus. Nimirum, quod affectibus humanis agitur, licet divinum sit, humanum esse creditur;

Bona Ecclesiarum in *Silesia* quadriennio occupantur.

Moritur *Nancerus*, *Przedslaus* vel *Brzetislaus* eligitur.

Anathemate *Rex* *Ioannes* ab *Arnesto* icitur.

*Pontanus* in *Ernesto*.  
M. S. Vita.

Impotentia affectuum sententiam corrumpit



tur; quod ratione & moderatione fit, divinitatis cujusdam apud subditos auctoritatem acquirit.

## Notæ in Caput II.

**N**ancerus erat. In laudando, aut contra in reprehendendo Nancero discrepant historici: Silesij (ut Curæus, & Schickfus. L. 1. C. 29.) inhumanitatis & imprudentia Episcopum accusant; accedit Raynaldus, qui in Annalibus Ecclesiasticis Nankeri responsum, aculeatas & insolentes voces, ac temerè in Regem jactas, appellat. Contra Poloni, (ut Micchowius L. 4. C. 23. hist. Polo. & Cromerus loco cit.) defendunt, atq; ut heroicum, & sanctissimum pro libertate Ecclesiastica ejus factam & responsum commendant. Quid ipse sequar non habeo, illud vel in dubitatum statuo: etiam optimam causam, dum modus non tenetur, quodammodo corrumpi, adeoq; Regem, quacumq; ex causa plebebat, maledictis & contumeliosis onerari non debuisse. Inerat, omnino quædam asperitas Nancero, ob quam olim causam à Rege Poloniæ Loctico verberatus, Cracoviensem Episcopatum amisit. Aliter cum Regibus, aliter cum privatis agendum suadet humana (& que huic velat superedificatur) cœlestis prudentia. Etiam prolata in nocentissimum reum à Iudice sententia, carere tamen quæstus contumeliosis debet.

Rayn. in Annal.  
Eccles. A. 1346.  
N. 62.

Apud Reges  
aliter, quam  
apud priva-  
tos loquen-  
dam.

Silesiam Bohemiæ conjungeret. Quæ id ratio-

Silesia Bohemiz conjuncta publicis Principum Silesie instrumentis.

Odoricus Raynaldus Tomo XVI. A. 1335. N. 57.

ne factum sit, optimè Authenticis Instrumentis omnium Silesie Principatum ostendit Schickfusius in historia Silesie toto libro secundo. Idem scripsit in Annalibus Ecclesiasticis: Odoricus Raynaldus Tomo XVI. Anno 1335. N. 57. Scriptores vicini in contrariam partem nituntur. Mihi Carolus Imperator pro omnibus est; cui utpote Regi, & Cesari justissimo & veritatis amantissimo, sui temporis acta scribenti, Principi piissimo, visionibus cœlestibus, & miraculis & post mortem incorruptione sui corporis à Deo dignato, cui Regni omnia arcana & tractatus erant in manibus, Carolo, inquam, plus credo in negotiis sui sæculi, quam historicis omnibus, qui hoc & priore sæculo



saeculo sunt nati. Ita igitur in Vita sua scribit: In Willegrado super Danubio apud Regem Carolum I. (*Ungaria*) invenimus (*de se scribit*) Patrem nostrum (*Joannem Regem Bohemia*) ibique fecit idem Rex Carolus pacem inter Patrem nostrum, & Cracoviae Regem; ita quod renuntiaret Pater noster juri sibi debito in inferioribus Provincijs Poloniae. Rex verò Cracovia renuntiavit Patri nostro & Regno Bohemiae pro se & Successoribus suis, Regibus Inferioris Poloniae, in perpetuum de omni actione omnium Ducatum Silesiae, & Opoliae, & Civitatis Wratissaviae. Nam antea erat dissensio inter eos: quoniam avus noster Wenceslaus II. Rex Bohemiae, possederat inferiorem Poloniam praedictam cum Ducatibus Cracoviae & Sandomiriae, ratione unicae filiae Przemyslai Regis inferioris Poloniae, & Sandomiriae, quam acceperat in uxorem. Qui Przemisl post mortem suam dederat avo nostro, & Coronae Regni Bohemiae in perpetuum tam Regnum, quam Ducatus possidendos. Casimirus verò praedictus erat Patruus ipsius Dominæ, & dicebat se jus habere in Regno Poloniae inferioris, asserendo: quod femina non posset hereditare in Regno. Et sic guerra à longis temporibus duraverat inter Reges Bohemiae, & Casimirum, ac Patrem suum quondam, Wladislaum Regem Cracoviae, seu inferioris Poloniae. Sicque illa guerra concordata fuit per praedictum Regem Ungariae, qui propter hoc ligavit se, & promisit, &c. *Hec Carolus Imperator, clarissime rei statum explicans, in vita sua, in Editione Hanovienfi (Anno 1602.) inter alios historicos Bohemiae, quos Freherus dedicavit Christophoro Radzivilio S. Rom. Imp. Principi. Eam verò Casimiri Regis Poloniae renuntiationem authenticam recitat Schickfus: in Annalibus Silesiae L. 3. C. 16.*

Carolus Caesar quid de Silesia Bohemia Regno adjuncta scribat.

RIXA ea filia dicebatur.

**Moritur Nancerus sanctissimè.** Ita Miechovius L. 4. C. 43. Id factum Anno 1341. 10. Apr. Idem Miechovius narrat, à quadam Pia femina in ejus morte caelestem musicam auditam, eidemq; revelatum, animam Nanceri ab Angelis in caelum deferri. In exilio obijisse traditur, quod de Wratissavia intelligendum, nam Nixae in ditione sua obijt.

Nancerus Nixae obijt.

M

Affe.



Affectus ni-  
mij compri-  
mendi, ne in  
transversum  
agamur.

**Affectibus humanis.** *His quidem omnino carere non potest humana natura, ut exemplo Christi & Sanctorum (contra Stoicos) ostendit Maximilianus Sandæus S. I. in Pædia Academici Christiani, in Grammatica rit. Interjectio; sed moderandi sunt & comprimendi, ut idem probavit. Exemplo Arcûs id illustrat Seneca L. 1. de Ira C. 9. quem, ut lubet, adducimus, aut remittimus. In festis diebus offerendum esse cor DEO sine affectu S. Synesius Episcopus monuit (in Conc. Panegy. ex edit. Dionysij Petavij S. I.) Craterem, inquit, sobriâ mixturâ plenum DEO in festis offeres. Spiritus sanctus non solet adesse, ubi tumultus & necessitas, sed ubi libertas, id est dominium passionum. Ubi ira (ait Synesius epist. 67.) & furor inconsultus, & pervicax animi motus ad agendum præit, quâ fieri potest, ut ei rei Spiritus sanctus interfit? Quam sæpe, quæ ex illo motu facta sunt, cuperemus revocare! Aristoteles hoc quoq; vidit 3. Ethicor. C. 6. & comparat affectus turbulentos, homini ex alto in caput cadenti, eamq; similitudinem ex Aristotele descripsit Seneca L. 1. de Ira C. 6. ut notavit J. Lipsius.*

Actio 1343.  
1344.

Arnestus auctoritate summi Pontificis, misso Pallio, creatur Archiepiscopus, primûmque Lapidem in fundamenta Pragensis Templi ipso, quo Pallium induit, die consecrat & collocat.

### CAPUT III.

**C**ausa interim *Wratislaviensis* coram *Clemente VI.* ejus nominis Pontifice, jaçtabatur, & calebat, ut ita dicam, judicium; hinc *Joanne Rege*, potentiâ Regiâ pugnante; illinc



illinc *Brzetislaw* vel *Przedslaw* *Wratislaviensium* Episcopo jura sua Ecclesie bonitate causae, & justitiâ defendente. Ad extremum cum *Rex* ad omnia se paratum offerret, & amicè *Brzetislaw* praesenti omnia restitueret, datâque manu polliceretur, culpa & poenis omnibus est solutus. Unum illud restabat (quod dixeram altè Regis animo inhâsisse) à *Nancero* objectum, quòd *Archiepiscopus* non haberet in Regno. Ad rem tantam à Pontifice impetrandam *Carolus filius* aptissimus est visus, cui intima olim cum *Clemente*, adhuc privato, necessitudo intercesserat, eamque *Clemens* novæ dignitatis accessu abrumpi non debere dicebat. Commemorat hanc suam apud Pontificem gratiam ipse *Carolus* in vita sua, additque sibi ab eo *Cardinale* prædictum, *Romanorum Imperatorem* fore, cui confestim ipse responderit: *Tu eris antè Papa!* quod utrumque vaticinium ex utriusque prudentia natum, feliciter evenisset. Amicissimi igitur Pontificis animum multis obsecrationibus, & promissis, necessitate etiam demonstratâ, eò denique perpulit *Princeps Carolus*, ut, quod petebatur, haud gravatè concederet; sed neque leves suberant causae, quas *Clemens* in Bulla, quâ *Archiepiscopatum Pragensem* erigit, diligenter expendit; unde omne Pontificis optimi consilium, ab attento lectore, potest animadverti. Addidit alias idem Pontifex literas, quibus *coronandi Regis Bohemiae Ius*, *Moguntinis Archiepiscopis* in omne tempus abrogabat, idemq; jus in *Archiepiscopu Pragensem* transferabat. Literæ seriùs in *Bohemia* venèrè, *Pallium* à Pontifice sinè mora *Arnesto* per ipsos Reges missum est, qui novo *Ecclesia Pragensis* honore læti, rebus omnibus ex sententia confectis, *Pragam* redierunt. Anno igitur 1343. proximâ ante Adventum Dominicâ, 23. Novembris die, *Arnestus* pallio Archiepiscopali inter Sacras carimônias induitur, Rege ac filijs, Proceribus, ac universo qui ad spectaculum invitatus erat, Populo gratulante, ut voces lætitiæ indices & plausum non tenerent. Sacris peractis, DEO triumphali *D. Ambrosij* hymno laudato, Populo *S. Adalberti* Cantus iterante, celebris adornatur supplicatio. *Archiepiscopus* novus *Rex* cum filijs ac Proceribus, ad fossiones Templi,

Carolus IV.  
Pontifici carissimus.

Carolus IV.  
Imp. in Vita sua.

Carolus Mar-  
chio impe-  
rat Bohemie  
Archiepiscopus.

Lupac. in Cal.  
hist. Cuthenus  
Notus ad Sylvium.  
Ipsi Sylvius  
C. 33 hist. Boh.  
Daniel Adamus  
in Calend.  
hist. 29. Nov.  
citans Pulkavam.  
Olovus.  
Civem, &  
Miocho v. hist.  
Polon. l. 4.  
C. 23.



Templum S. Viti quali de novo fundatur.

Hagek. Anno 1343. Dubran. hist. Bohem. 22.

Perpetui Census Templo S. Viti Pragæ à Regibus assignantur.

Arnestus Archiepiscopus Pallio missò à Clemente XI. creatur.

cujus denuo ædificandi consilium Rex ceperat, exiére; ibi solenni ritu primo lapide religiosè consecrato, in fossas Archiepiscopus, Rex, duóque filij, *Carolus*, & *Ioannes* descendunt, humique prostrati, multis ab *Arnesto* fuis lacrymis, DEO in primis, tum *Sandif. sine ejus Matri* (hunc enim titulum ab origine prima, *Ecclesia S. Viti* habebat) denique sanctis Bohemiæ Patronis *Vito*, *Venceslao*, *Adalberto*, quinque *Fratribus*, *S. Procopio S. Ludmilla* & reliquis, Basilicam hanc, præeunte conceptis verbis Archiepiscopo, dedicare se testabantur. Non solet esse sterilis in Principibus cordatis Pietas. Conficitur protinus altero die, *Arnesto* incitante, in Procerum omnium conventu, libellus, quo se, Regésque omnes futuros, *Ioannes Rex* obligabat: decimam argenti quotannis ex argenti fodinis *Cuttmensibus* in Fabricam & in sarta tecta *Templi Pragensis* æternâ pensione soluturos; eum libellum, subscriptis Regis, filiorum, Procerumque nominibus, *Decano Pragensis Ecclesiæ* dederunt in manus.

Pauci abierant dies ( ut cumulatiùs gaudium foret ) Pragam Apostolicæ litteræ perferuntur ( die *S. Nicolai* Episcopi lætissimâ apud Bohemos luce, & antiquâ Religione consecratâ) inter Sacra, Rege, ac Nobilitate omni, populóque spectante aperta, quod felix, gloriosúmque genti Bohemæ semper esset, leguntur, & *Archiepiscopus*, authoritate Apostolicâ, nominatur *Arnestus*. Sed & aliæ rursus literæ universales ab eodem Pontifice confectæ sunt, quibus *Ecclesiæ Pragensis* in Metropolitanam erectio confirmatur; eas ( quia ad gloriam Sanctæ Pragensis Ecclesiæ, & Inclyti Bohemiæ Regni honorem non parùm faciunt ) hoc loco recitare operæ pretium est visum.

Diplo-



Diploma Clementis VI. quo  
Pragensis Ecclesiæ in Archiepiscopa-  
lem erectio confirmatur, & quibus die-  
bus Archiepiscopus pallio usus  
sit, declaratur.

L. 3. Epif.  
Clementi VI.  
divers. form.  
94o

*Clemens Episcopus Servus Servorum  
Dei, ad perpetuam rei memo-  
riam.*

**A**t tendentes Pragensem Ecclesiam magnæ  
titulo dignitatis inter aliarum partium Ec-  
clesias præfulgere, rationabile fore conspi-  
cimus, ut ipsam Pragensem Ecclesiam, & Archi-  
episcopos, qui pro tempore inibi præfuerint, spi-  
ritualibus gratiarum largitionibus, in ijs potiss-  
simè quæ ad suum decus, & decorem ex ipsius  
Ecclesiæ excellentia dignitatis pertinent, hono-  
remus. Nuper siquidem svadentibus rationabili-  
bus causis, eandem Pragensem Ecclesiam, olim  
Suffraganeam Ecclesiæ Moguntinensis, ac tunc  
de Provincia Moguntina existentis, & Venerabili

M 3

li Fra-



li Fratrem Nostro Arnesto Episcopo olim Pragensi, in Archiepiscopum Pragensem electo, regimini ejusdem Pragensis Ecclesie præsidente, de Fratrum nostrorum consilio, & Apostolicæ plenitudine potestatis in Archiepiscopalem, & Metropolitanam ereximus, & honoribus ac insignijs Sedis Metropolitanæ duximus decorandam. Et attendentes quòd ipse Arnestus in ejusdem Ecclesie regimine, dum Episcopalis existeret, hæcenus se gessit fideliter & prudenter; & quòd illud in posterum attentius gereret, præfatum Arnestum ipsi Ecclesie Pragensi in Archiepiscopum præfecimus & pastorem, curam & administrationem ipsius eidem Arnesto in spiritualibus committendo, sibi que deinde pallium, insigne videlicet plenitudinis pontificalis, à nobis ex parte sua humiliter postulatum, duximus concedendum. Ut autem idem Arnestus, & ejus successores Archiepiscopi Pragenses, qui erunt pro tempore, eò licentiùs pallio uti possint, quo specialiori Apostolicæ Sedis super hoc fuerint Privilegio communiti, ipsius Arnesti supplicationibus inclinati, eidem Arnesto, & successoribus suis præfatis, ut in ipsa Pragensi, & alijs suæ Pragensis provinciæ Ecclesijs, videlicet in Nativitate Domini, & S. Joannis Evangelistæ, S.

Ste-







Tomo 2. Epist.  
 Secr. Clementis  
 VI. Epist. 1085.  
 Serar. rerum  
 Mogunt. l. 5.  
 an Henrico III.  
 Reynald. To-  
 mo XVI. An-  
 nal. Ecclesiast.  
 Anno 1344.

novum Ecclesiæ Pragenſi *Privilegium*, eique Bohemiæ Regis un-  
 gendi, & coronandi authoritatem (cùm antè is honor ad Mogun-  
 tinum Præfulem spectaret) in omne futurum tempus conceſſit;  
 quâ de re Apostolicum Diploma 3. Nonas Maij hoc anno datum  
*Serarius* Noster in Francòfordienſi bibliotheca ſervari ſcribit, ci-  
 tâtque illud inter Epistolas Clementis *Raynaldus*. Neque hiſce  
 ſolùm, amantiſſimus Bohemòrù Pontifex, præſidijs *Pragenſem Ec-  
 cleſiam* munivit, exornavitq; , ſed peculiarem inſuper addidit *Bul-  
 lam*, quâ è Poteſtate Moguntini Pragenſis Diœceſis eximitur, fun-  
 datur Litomiſſlenſis Episcopatus, *Litomiſſium* à Pontifice Civita-  
 tis juribus donatur, tota denique Archidiœceſis ordinatur; eam  
*Bullam* à me in latinum converſam, nè cui faſtidium afferam, in  
 Notas reijcio.

Recitabo ad extremum, coronidis loco, antiquiſſimum de  
 Eccleſia Pragenſi *S. Emmerammi* vaticinium, quod ſcriptor eo-  
 rum temporum, ex litteris ad *S. Wenceſlaum* Bohemiæ Ducem da-  
 tis, ait ſe exſcripſiſſe; ſed fallitur luculenter: nam id vaticinium  
 non ab *Emmeranno* ad *D. Wenceſlaum*, ſed à *S. Wolfgango* ad *Bo-  
 leſlaum* piſſimum Principem, *S. Wenceſlai* nepotem tranſmiſſum eſt,  
 ut probabitur in Notis. Verba Codicis manuſcripti, ubi vaticini-  
 um hoc refertur, hæc ſunt: *Ipfus* (Arneſti ſcilicet) *diligentiâ &  
 ſolicitudine*, procurante gloriſſimo Domino Ioanne Rege Bohemia,  
 Inviſtiſſimo Principe Domino Carolo ejuſdem Primogenito, tunc *Mar-  
 chione Moravia*, poſt verò ſceptra, & faſtigium Romani Imperij, &  
 dicti Regni Bohemia feliciter gubernante, A. D. 1344. eadem ſua *Præ-  
 genſis Eccleſia* in Metropolitanam Eccleſiam eſt erecta; qua olim *Mo-  
 guntina Eccleſia* filia ſeu ſuffraganea exiſtebat, à cujus ſubjectione, per  
 donum & gratiam SS. Patris & Domini Domini Clementis Papa præ-  
 dicti duas ſibi, Mater effecta, filiales, ſeu ſuffraganeas Eccleſias, *Olomu-  
 cenſem* videlicet, & *Litomiſſlenſem* fecunditate *Lia*, qua in hac præ-  
 ferrebat *Rachelis* pulchritudini, eſt enixa: & qui paulò antè filius  
 & Episcopus dicebatur, jam Pater & Archiepiſcopus predicatur. O  
 magna DEI providentia, qua tantam tanta perſonæ dignitatem diſpo-  
 ſuit reſervare, & ipſum conſtituit *Pragenſem Archiepiſcopum* vocitari!

Quis



Quis dubitat S. Adalbertum Episcopum olim dictæ Ecclesiæ, eum sibi constituisse successorem, qui morbidas sue plebis oculos verbo doctrinæ, exemplo vitæ, salvifico infuso oleo & vino vulneribus, ad salutis gratiam incitaret? Impleta est igitur prophetia B. Emerami Episcopi

In Notis ostendam Vaticanum hoc ad S. VVolfgangum pertinere, neque id S. VVenceslao, sed Boleslao Pio ejus Nepoti significatum.

Ratisponensis, qui, inter cetera, commemoratur olim scripsisse sanctissimo Duci, & Patrono nostro Beatissimo Wenceslao, ita dicens: vidi, fili mi, Ecclesiam tuam, quam à me consecrari postulas, in Metropoli cretam coram Domino.

Hæc vitæ scriptor vetustissimus. Habemus igitur Arnestum Archiepiscopum, quem in multos annos, magno divinæ gloriæ incremento, Ecclesiam rexisse, postea sumus visuri.

### Notæ in Caput III.

**B**ulla Clementis. *Apostolicas Clementis VI. litteras* (quia impetrare latinas non potui) ex Bohemico Hagecij fidelissime, quantum vires ferebant, sum interpretatus: id quoque antiquitatis monumentum ut hic recitaretur, amici pervicerunt, & pro jure suo jusserunt.

*Clemens Episcopus servus servorum DEI ad perpetuam rei memoriam.*

**R**omanus Pontifex supremæ Majestatis providentiâ in altissimo dignitatis loco constitutus, ovile Domini suæ curæ traditum, ut ei ex officio Pastoris incumbit, so-

N

licitè



licitè circumspiciens & custodiens, Ecclesias earumque rationes commutat, & corrigit, sicut necessitas ipsarum Ecclesiarum, & causæ postulare noscuntur pro ædificatione populi, & salute animarum. Cùm, sicut nobis ex una parte à charissimo Filio Nostro Joanne Rege Bohemiæ, Illustri & Nobilissimo Viro Carolo Marchione Moraviæ primogenito ejus filio coram nobis, & Fratribus nostris S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus propositum, & reverenter significatum est, Pragensis, & Olomucensis Ecclesiæ, & eorum Civitates, & Episcopatus in Regno Bohemiæ sit, spectârint jure Metropolitanano ad Archiepiscopum Moguntinum, qui nunc est, & ad Ecclesiam Moguntinam, Civitas verò Moguntina ipsa duodecim circitèr dierum itinere exinde distet; ad hæc, quòd prædicti Regni incolæ, qui Slavicâ linguâ loquuntur, incolas qui in prædicto Archiepiscopatu sunt, non intelligant; Item quòd ex Pragensi, & Olomucensi Civitatibus, & Episcopatibus venientes, per latrones, & prædones in vijs multa pericula subiverint, & quòd magnæ silvæ, & montes interjaceant, & difficilis sit

Causæ cur  
Pontifex  
Regnum Bo-  
hemiz ab In-  
risdictione  
Moguntini  
exemerit.



fit accessus, & sæpe volentes Moguntiam pergere, alias terras transire, & procul circumire alijs vijs, vel ob Appellationem, vel ob alias necessitates ab Archiepiscopo, sicut à superiore suo, impetrare quærentes, multum laborem, difficultatem, & expensarum damnum pati debuerint; Insuper quòd ultra hominum memoriam nunquam (nisi semel) prædictæ Ecclesiæ Pragensis, & Olomucensis visitatæ sint; cùm bonum Superiorem deceat sibi commissos visitare; sed & hoc magnum inconueniens esse cognoscitur, ut tanta multitudo hominum ab uno tam procul posito regatur. Ex his itaque causis à prædicto Rege, & filio ejus primogenito, humiliter rogati sumus, quatenus Pragensem, & Olomucensem Ecclesias à tali respectu, dependentia, subjectione, Archiepiscoporum Moguntinorum, & Ecclesiæ Moguntinæ liberare, & hanc Ecclesiam Pragensem in Metropolitanam erigere, & alias Ecclesias in illo Episcopatu, præcipuè Olomucensem, Pragensi Ecclesiæ adjungere, dignaremur. Nos precibus eorum auditis, volentes in his ordinem certum, & modum ser-

Nota.

Rarò Bohemia ab Archiepiscopo Mogunt. iustitata.



100 DE VITA VEN. ARNESTI LIB. II.  
vare, & absolutam rerum notitiam accipere,  
Venerabili Fratri Bernardo Episcopo Ostiensi,  
& dilectis filiis nostris Bernardo tituli S. Cyriaci,  
Præfecto Tervisano, ut & Raymundo Eccle-  
siæ Novæ B. Virginis, Diacono Cardinalibus,  
vivæ vocis oraculo mandavimus, ut de hac re  
personaliter, & oretenus meliorem notitiam ac-  
ciperent, & quod conveniens judicarent, nobis  
fideliter aperirent. Itaque per Episcopum O-  
stiensem, & Cardinales, juxta nostram volunta-  
tem informati, cognovimus justas & ferè evi-  
dentes causas esse eorum petitionis, quòd non  
solum digna res sit, sed etiam omnino necessa-  
ria, pro dilatatione præmiorum DEI, & salute ani-  
marum. Confidimus enim quòd per hoc multum  
bonorum salutarium provenire possit, sicut cum  
Fratribus nostris prædictis diligenter, & sedulo  
perspeximus, & consilium desuper accepimus,  
Ecclesiam, Civitatem, & Episcopatum Pragen-  
sem prædictum, ex consilio Fratrum nostrorum,  
& ex Apostolicæ Potestatis plenitudine, cum cer-  
ta scientia nostra, ab omni jurisdictione, potesta-  
te, & subjectione Archiepiscopi Moguntini qui  
nunc



nunc est, & dilectorum filiorum Capituli Ecclesie Moguntinae eximentes, & omnino liberantes, & soli Ecclesie Romanae in posterum subijciantes, Pragensem Ecclesiam ad DEI honorem & gloriam, atque ad exaltationem Fidei Christianae, & cultus divini augmentum, & animarum salutem, in Metropolitanam erigimus, & illam dignitatibus, & signis Metropolitanarum Ecclesiarum decoramus, potestate praedicta constituentes, ut haec Pragensis Ecclesia in posterum pro Metropolitana habeatur, & ejus Pastor Archiepiscopus nominetur. Dignum etiam est, quandoquidem praedicta Ecclesia antè fuit sicut filia, & nunc est facta mater Metropolitana, ut Suffraganeos, & suam peculiarem jurisdictionem habeat, ut ad judicium Archiepiscopi, qui pro tempore erit, omnes causae Suffraganeorum, Episcoporum, & Clericorum, & Civitatum, & Episcoporum, & Provinciae, juxta regulas Juris Canonici, referantur. Villam verò Litomisl, qui est locus insignis in Episcopatu Pragensi, ad honorem Nominis DEI, & venerationem, pro aedificatione, & exaltatione in Civitatem erigimus,

Pragensis Ecclesia Metropolitana pronunciat, &

De Suffraganeis Ecclesijs Archiepiscopi Pragensis.

Litomislum à Papa civitas appellatur.



Eravit Mic-  
chovius qui  
I. 4. C. 23. ab-  
bariam S. Be-  
nedicti Lito-  
mislisij fuisse  
scripsit.

mus, & Civitatem facimus; Item Ecclesiam  
Monasterij hujus Novæ Civitatis, Ordinis Præ-  
monstratensis, in Episcopalem erigimus, cui ab  
Episcopo Olomucensi, & etiam à Pragensi ali-  
quæ partes ditionum attribui debent, & sic Olo-  
mucensis, & Litomislensis Ecclesiæ, & earum  
Civitates, Pragensis Ecclesiæ erunt suffraganeæ.  
Nulli itaque hominum liceat, &c. Datum  
Avenione pridie Calendas Maij, Pontificatûs  
Nostri Anno secundo.

De anno, quo  
Archiepisco-  
pus sit crea-  
tus Arnestus,  
disputatur.

Error Marti-  
ni Borek.

Hagek in An-  
ualib. Bohem.

1343.  
Straniky resp.  
Boh. C. 6. §. 16.  
Hist. Sedlec.

1343.  
Weleslav. in  
Cal. hist. 23.  
Novemb.  
Lupac. in Cal.  
hist. eodem die.

Anno eodem 1343. Non satis inter historicos con-  
venit, quisnam Annus Arnesto Pallium, & Archiepiscopalem digni-  
tatem attulerit. Cromerus hist. Polon. L. 12. Annum 1345. aut se-  
quentem ponit. *Vetustissimus vita Arnesti scriptor A. 1344. disertè  
nominavit. Borek (in hist. Bohem.) inconstantissime: Archiepisco-  
patus, ait, Pragæ erigitur A. 1343. addit subitò: alij dicunt Archi-  
episcopatus initium datum 3. Maij. A. 1344. (sed inconsultè su-  
bycit) alij 1370. deceptus est Borek marginalibus Dubravij notis,  
ubi ad Arnesti nomen rudis manus hunc annum apposuit. Manu-  
scriptus Codex Bartholomæi de Drahoniez: A. D. 1344. inquit,  
electus est Arnestus i. Archiepisc. Pragensis; eodem anno funda-  
tur novum Templum Pragæ; instituti Mansionarij. Eodem anno  
fundatur Episcopatus Litomislensis, & rumpitur die S. Blasij pons  
Pragensis. Hagek Annum 1343. posuit, & plurimos habet subscripto-  
res: Stranskium, Historiam Sedlecensem, Annales Henrici Reb-  
dorff: Chronicon M. Alberti Argentin: Weleslavinum, qui Cu-  
ræum, Pulkavam, Miechoviensem (quanquam hunc postremum  
falsò) citavit. Lupacius, caterà diligens historicus: Anno Domi-  
ni, inquit, 1343. Clementis VI. primo (secundo dicere oportuerat)  
à fun-*



à foundatione verò Episcopæ Pragensis 377. Ernestus I. fit Archiepiscopus, cui duo Suffraganei, quos ita vocant, adduntur: nimirum Olomucensis (qui tum erat Joannes Oczko ex clara procerum de Wlassim familia) & Litomisslensis, Joannes scilicet ex D. Norberti familia, ex Monasterio Litomisslensi Montis Oliveti dicto. *In hac historicorum titubatione (qui conciliari peragere possunt) cui partitudo satis Lectores accedem? Ego ad Apostolicas litteras, quibus ea dignitas Arnesto & successoribus confertur, ut ad polum respectio: ea verò cum tertio Clementis anno, 8. Calend. Septembris apud Villam novam data sint, cumq; præterea constet, Clementem VI. in Aprili (ut Genebrardus, Onufrius, Ciacconus volunt) aut ut alij apud Raynaldum, in Majo Anni 1342. Pontificem consecratum esse, necessario conficitur Arnesto A. 1344. Archiepiscopalem dignitatem esse collatam; erravit igitur Cromerus, erravit Borek, qui 1345. aut 1370. posuerunt. Est tamen aliqua concordia ineunda ratio eos inter qui Annum 1343. & nos qui Annum 1344. Archiepiscopatus Pragensis erecti posuimus, & ponimus. Nam ad finem Anni 1343. 23. Novembris pallium Archiepiscopale missum est, eòq; ut Arnestus uteretur, scripsit Pontifex, sed Anno primùm sequenti 1344. 8. Cal. Septembris, Sanctæ Pragensis Ecclesiæ in Metropolitanam erectio stabilitur, & diplomate confecto legitimè, honor Archiepiscopalis & dignitas æterno beneficio in omnes Arnesti successores extenditur. Itaq; scriptores, qui Annum 1343. Archiepiscopatus erecti nominant, à tempore, quo pallio uti cœpit Arnestus, chronologiam suam auspicantur; qui verò Annum 1344. ponunt, quos inter ego me profiteor, ij litteras Apostolicas eo anno datas respiciunt, quâ ratione utriq; conciliantur scriptores.*

Augustin. Moravus in Catalogo Episc. Olomuc.

Genebr. in Chron. Onufr. Ciac. in Viri Pont. Raynal. in Annal. Eccl. 1344. Crom. lib. 12. hist. Borek. in hist. Boh.

Conciliantur scriptores.

**Pallio Archiepiscopali.** Ejus formam, & significationes omnes, quatuor Crucium explicat Innocentius III. lib. primo *Myster: Missæ C. 63. alias item Antiquitates de eo adducit Angelus Rocca in scholijs ad I. Tomum D. Gregorij Magni, Clementi VIII. dedicatis. Tale pallium gerit hodièq; statua marmorea ejusdem Arnesti, super ejus sepulchrum Glacij erecta.*

De Pallio Archiepiscopali.

Tem-



## Templi fossiones. Pragensis Metropolitana Ec-

*Hist. S. Montis l. 3. C. 9. §. 2.*  
*De titulo Ecclesie S. Viti.*  
*Cuthenus & Lupacius 12. Julij.*  
*Lupacius l. cit.*

*cllesia antiquitate, & incendijs sæpius prostrata, semper liberalitate priorum Principum pulchrior post damna surrexit. Beatissima Virgini primùm dedicata fuit, deinde illato S. Viti corpore Vitus adscitus in nomen est; postea novâ Spitihei Ducis edificatione A. 1060. SS. Wenceslaus & Adalbertus, omnesque Bohemiæ Patroni accesserunt ad titulum; arsit hoc templum rursus, & flammis concidit Anno 1142. Sub Arnesto Anno 1344. extrui & restitui magnificè cœpit, licet in hieme anni prioris A. 1343. lapis primus, ut narravi, in fundamenta sit conjectus. A. 1386. 12. Julij perfectus est Ecclesie chorus; tota deniq; Ecclesia A. 1392. 3. Junij absoluta, & denuo quodammodo consecrata, addito ultra superiores titulos S. Sigismundi Regis Nomine. Hac ex Hagek, & Procopio Lupacio, alijsq; authoribus optimis.*

## Vaticinium S Emmerammi. Totam hanc vi-

*Hagek, Ann. 923.*  
*Differitur de consecratione Ecclesie Pragensis.*  
*In Annalibus Boicis, lib. 4.*  
*Raderus in Bavaria sancta.*  
*Dubr. l. 5. hist. Bohem.*  
*Discipulus S. Wolfgangi in eius Vita apud Surium.*

*sionem, & vaticinium S. Episcopo Wolfgango Hagek attribuit, & revera S. Emmerammum aut Emeranum, Ratissponensem Episcopum, longè ante hæc tempora vixisse, affirmant, Vellerus & Raderus. Epitaphium S. Emmerammi annum ejus mortis 652. 10. Cal. Octobr. præfert, cujus autoritate Baronius superatus, corrigi Annales suos jussit, (ut Spondanus A. 652. commemorat.) nam in Notis ad Martyrologium annum mortis S. Emmerammi annum 750. & in editione prima annalium annum 702. posuerat. Quomodo igitur scribere ad S. Wencellaum potuit S. Emmerammus, cum S. Wencellaus circa annum 938. à Fratre occisus, ut pleriq; notant, tribus ferè sæculis post S. Emmerammum vixerit? Nihilominus Dubravius Episcopus Olomucensis S. Emmerammum Pragam venisse post mortem S. Wencellai significat, nisi fortè alius sit hic Emmerammus. Omnibus diligenter examinatis, arbitror vaticinium hoc ad S. Wolfgangum (non ad S. Emmerammum) pertinere, quod etiam ab eo, qui vitam S. Wolfgangi scripsit apud Surium, refertur. Sed nova iterum ex S. Wolfgango difficultas exoritur. Nam sicut S. Emmerammus longè ante S. Wencellaum, ita S. Wolfgangus longè post vixit. S.*

Wen-



Wencellaus enim, juxta Baronium, Sigeberrum, Nauclerum, ut antè dixi, circa annum 938. aut, ut Cosmas Pragensis Decanus vicinissimus illorum temporum (quippe A. 1086. historiam Bohemia scribens) anno D. 929. occubuit; S. Wolfgangum verò constat ex scriptore vita ejus anno 999. obiisse, adeoq; sexaginta annis minimum Episcopus esse debuisset, ut ad S. Wencellaum Pragam venire, & consecrare Ecclesiam posset; Episcopus igitur fuisse annis septuaginta sex, quod nemo dixit. Adde quòd author vita, S. Wolfgango coævus, sub Imperio medio Othonis à S. Udalrico Augustano ordinatum S. Wolfgangum narrat, at S. Wencellaus initio Imperij Othonis occisus dicitur. Wolfgangum tamen adisse Bohemiam, & consecrasse S. Viti Ecclesiam scribunt: Dubravius, Pontanus, Hagek, alitq; complures, idq; ipsum aureis litteris Templo Pragensi videmus inscriptum. Vnus Cosmas Decanus Pragensis temporibus illis proximis adversatur, scribitq; in hunc modum: Servus DEI Wencellaus Ecclesiam in Metropoli Praga, sub honore S. Viti Martyris constructam, non tamen consecratam, morte præventus reliquit. Michael Episcopus Ratisbonensis (quem vir DEI Wencellaus dum carne viguerat, nimio coluerat affectu) Pragam advenit; &c. Quid multa? X. Calend. Octobris dedicatâ S. Viti Ecclesiâ, lætus repedabat Præsul ad propria. Hac Cosmas; cui suffragari videtur Martyrologium Ecclesiæ Pragensis vetustissimâ manuscriptus liber, in quo 17. Cal. Julij hæc leguntur: S. Wencellaus in honore & sub titulo S. Viti Ecclesiam fundavit, & construxit. Quæ quidem Ecclesia postmodum procurante Boleslao Pio Duce Bohemie, & Mlada Virgine ejus sorore in Cathedralem, per Sedem Apostolicam est erecta. Decursis demum multorum annorum, curriculum ipsa Ecclesia Pragensis procurante gloriosissimo Principe Carolo IV. Rom. Imp. semper Augusto, & Bohemie Rege sublimata est in Metropolim. Quomodo igitur hanc perturbatissimam & prorsus profligatam Chronologiam disponemus? Apud me Cosmæ tam vicini temporibus illis, Authoritas tanta est, ut nullâ ferè provocatione Novorum historicorum possim moveri. Existimo igitur: S. Wencellaum Martyrem, cum ab Henrico Aucupe (quem Wratillaus,

Cosmas Prag. Eccl. Decan. lib. 1.

Chronici Ann. 929 Raderus in Bavaria Ann. 993. posuit. Brunner in Annalius Boicis Ann. 994.

Dubrav. l. 3. hist. Boh. Hagek, A. 923. Pontan. lib. 3. Boh. Pie.

Cosmas Decanus loc. cit.

Nota.

Conjectura Nostra de re tota.





Liber Tornea-  
mentorem Im-  
perij Germani-  
ci vetustissimus  
id asserit in  
Henrico An-  
cepse.  
S. Viti bra-  
chium Hen-  
ricus Auceps  
accepit à  
Francis Ann.  
920. Spon-  
danus.

tilaus S. Wenceslai Pater, contra Hunnos pugnantem cum 400. Bo-  
hemorum Equitibus fideliter adjuverat) cum, inquit, S. Wence-  
slaus S. Viti brachium dono accepisset, ad novam fabricam animam  
adsecisse, & absolvisse, cumq; inter hæc occisus esset, Michaëlem Epi-  
scopum, post ejus mortem, Ecclesiam consecrassè. Ergo (dices) S.  
Wolfgangus Ecclesiam non consecravit, neq; S. Wencellao, ut tra-  
ditur, vaticinium scripsit? respondeo: S. Wolfgangum ( ut ejus acta  
evincunt) S. Wencellao Martyri notum esse non potuisse, sed Boleslao  
Pissimo Duci & Sancto etiam appellato, Nepoti S. Wenceslai Ducis,  
familiarem fuisse, atq; ab eo edificata viginti templa consecrassè, &  
de Metropolitana Ecclesia vaticinatum; insuper spontè & libenter  
permisissè (quod habet Vita scriptor) ut Bohemi Episcopum proprium  
haberent, quod contigit sub Wolfgango, beneficio Joannis Papæ XIII.  
cujus literas, quibus Episcopatum Pragensem erigit, idem Cosmas re-  
citavit. Hæc ratione omnia conciliabuntur. Erravit igitur Hage-  
cius qui A. 923. scribit, ea quæ S. Wolfgangus reliquerat, in Templo  
S. Viti non consecrata, Michaëlem A. 931. consecrassè; id necessario di-  
cendum videtur, constat enim S. Wolfgangum, nondum Episcopatum  
eo tempore tenuisse. Hanc Chronologia nostra perturbationem, pri-  
mus, ut reor, adverti. Si quis melius & certius quid attulerit ad rem  
tam intricatam solvendam, sequi sum paratus. Ha verò nota eisi lon-  
gius tracta, ad Chronologiam necessaria sunt, visè; jam ad  
Arnellum redeamus.

Apud Sur. vi-  
ta S. Volf-  
gangi.

Raderus in Ba-  
varia sancta in  
S. Volfgango.

Cosmas lib. I.  
hist. Boh.



Arne-



ARNESTVS Archiepiscopus Anno 1344.  
 Diocesanam Synodum celebrat; Sta-  
 tuta condit, quorum maxima apud po-  
 steros Authoritas; quædam ex ijs  
 recitantur.

## CAPUT IV.

**G**loriam Laboris filiã Veteres esse putaverunt: ego dicere Euripides in  
Hæralidis.  
 non dubitem, ut ex labore gloriam, ita sæpe ex filia rur-  
 sus nasci parentem, & ex gloria ac dignitate provenire  
 laborem. Errant profectò qui dignitatem assecuti, qui Conservatio  
gloria diffi-  
cilis.  
 escunt, quasi eam ipsam gloriam sine labore tueri, & servare pos-  
 sint; sapienter enim dictum est: *Laus nisi nova oritur, etiam vetus  
amittitur.* Quid Sole honoratius, qui perpetuo in motu & labo- P. Syrus in Mir-  
ris.  
 re versatur? atque is tamen, si quietis amore labores abrumpe-  
 ret, neque oriretur, procul dubio honores amitteret. Hoc exem-  
 plo Archiepiscopus creatus *Arnestus*, nihil se ex nova dignitate  
 percepisse aliud credidit, quàm laborem: *Synodum* (nam earum  
 magna semper in Ecclesia utilitates fuerunt) nemo Clericorum, Multitudo i-  
dem sentien-  
tium animos  
addit.  
 in Bohemia vocatam, & coactam meminerat; huic tam utili o-  
 perì, ante omnia, primam suam cogitationem *Arnestus* adjecit.  
 Nescio quomodo, cum se, qui idem sentiunt, vident, animis con-  
 firmantur; prudentérque animadvertit *Tacitus*: Seiani artibus,  
 Romanum Imperium labefactatum corruere cœpisse, cum milites  
 (antè per Urbem sparsi) una in castra ante Romam sunt condu-  
 cti, ut simul imperia acciperent, *numeròq; & robore, & visu inter-  
se*



se fiducia ipsis in certos metus daretur; dividi enim & separari debet, quod validum esse non velis. Idem in DEI & Divinae gloriae tuendae causa solet accidere, ut unum in locum Ecclesiae Custodes advocati, sua ipsi multitudine & numero fidentes, sustentent, augeant, animentque virtutem. De hac Synodo pauca, & obscure

M. S. Vita.

Synodum celebrat Archiepiscopus Arneſtus.

vetus Scriptor: recepto per Arneſtum ab Apostolica sede sibi miſſo pallio, in quo nomen & plenitudo Archiepiscopalis dignitatis conſiſtit; demum omnibus Liribus & Canonibus praſcriptis rationabilibus, atque pro lege habendis conſuetudinibus recollectis, animadvertens, (Arneſtus) non debere reprehensibile iudicari, si secundum varietatem temporum statuta varientur humana, videlicet Moguntina Ecclesia, quae quia ad suam provinciam per abſum quendam, propter inconvenienciam, in diſuetudinem venerunt, fructum nullum, aut modicum faciebant, nova & utilia Statuta edidit in Concilio Provinciali: verum quia sicut praediximus, vir erat literatura, & prudentia excimia, inzerferuit iſdem statutis de Iure Canonico multa utilia ad regendas & gubernandas Parochias suas summe necessaria, cum plerofque, a studiis non voluntas prohibeat, sed paupertas. Edidit etiam pro Ecclesia sua Pragensi, & alijs collegiatis Ecclesijs suae Diocesis nova & utilia Statuta, quae omnia suis ſubditis per copiam tradidit futuris temporibus habenda. Haec vetustus vitae ſcriptor. Tria dicere voluit: abrogasse Arneſtum Ecclesiae Moguntinae statuta, quod a moribus Bohemorum aliena essent. Alterum: nova ipsum condidisse Statuta, quibus Parochi regerentur; tandem Paupertati Ecclesiarum conſuluisse, suoque aere comparasse libros, atque Ecclesijs distribuuisse.

Statuta condidit Arneſtus.

Hagek A. 1304.

Eiusdem curae pro sua Diocesi.

L. 23. histor. Bohem.

Hoc ultimū de Arneſto confirmavit Hagecius; aiebat, inquit, impensis maximis in bonum Ecclesiae suae Scriptor, deſcriptofque, eleganter libros Miſſales, Chorales, alioſque, liberaliter in vulgus Sacerdotum ſpargebat. De prioribus Dubravus Olomucenſis Episcopus: Arneſtus officio ſuo optime functus eſt, dum ſedulò docet, aut ſacerdotibus praſcribit, quemadmodum oporteat, illos in Domo DEI verſari cum timore & diſciplina, quibus neglectis doctores ſimulatque, diſcipulos cum ipſa religione penitus ruere.

Porro Arneſti Statuta ad noſtram uſque aetatem pervenerunt,



runt, multisque in Bibliothecis Bohemiæ visuntur; protulit ea in publicum, & vulgavit *Georgius Bertholdus Pragensis Ecclesiæ Propositus*, & Nuntio Apostolico ad Cæsarem Rudolphum *Joanni Ferrerio Episcopo Vercellensi* sub hujus sæculi initium dedicavit. Gustum aliquem Lectori dare oportet & excerpere, ut Opus, quod in veneratione tot ætatibus fuit, noscatur. Ordinem, Scientiam, & Prudentiam qui, Jura intelligunt, maximè mirantur, ego exscribam pauca, quæ aliquid singulare continere, credebam.

*Nullus in Ecclesia sua Peregrinum ad celebrationem admit-  
tat, nisi præter Formatas suas adhuc ostendat Diocesani licentiam.* Ex Statutis VEN. Arnesti.  
*Celebrent Episcopi Missarum solennia in suis Ecclesijs Cathedralibus, præsertim in Festivitatibus Domini, & Virginis gloriose, &c. statuimus, ut in sacristia Ecclesiæ Capitularis habeatur clara, ac fidelis conscriptio Præbendarum, officiorum, & cæterorum Ministrorum, ac bonorum Ecclesiæ, omniumque reddituum, in quibus villis ex nomine, & in quibuscumque rebus consistunt, &c. ut saltem novus Prælati Canonici, vel Minister per hujusmodi scripturam, de suis juribus & provensibus informatus, recuperare valeat per suum prædecessorem deperdita, vel neglecta. Similiter libri, ornatus, Calices, Clenodia, &c. registrentur, & saltem de anno in annum revideantur, &c.* Arnestus amat diligentiam in rebus Ecclesiæ.

*Religiosi in Ecclesijs ad ipsos, etiam pleno jure spectantibus, Rectores sui Ordinis locare non audeant, quæ aliàs solis sunt per seculares Clericos gubernari.*

*Multis conatur persuadere, munditiam in rebus sacris esse servandam; nimis enim, ait, videtur absurdum in sacris sordes negligere, quæ dedecere etiam in profanis.*

*Omnes novitates sint suspectæ, & propter hoc fugiendæ, maximè autem illæ, quæ SS. Patrum obviant institutis.* Novitates omnes suspectæ.

*Jubet Excommunicationis sententiam à jure prolatam à Diocesanis publicari in eos, qui exigunt telonia ab Ecclesiasticis personis pro eorum rebus proprijs.*

*Irritat Statuta locorum quæ habent: quòd nullus ultra certam*



tam summam Ecclesijs vel Clericis donare seu legare audeat in ultima voluntate, cum iniquitatem contineant, & testandi perimant libertatem.

Recitat Catalogum majorum per Bohemiam festorum, inter quæ sunt: *Inventio, & Exaltatio S. Crucis, Maria Magdalena, Margareta, & Ludmilla.*

Statuit ibidem, nè Clerici de bonis per Ecclesiam acquisitis testari possint. Qua de re vide Notas.

Clericorum  
parsimonia.

*Clerici quando Convivia præparant (quæ rara sint) sex cibarium, seu ferculorum numerum non excedant.*

Multa contra Judæos decernit, nè ijs unquam serviant Christiani, nè ulli publico præficiantur officio; certumque eis pilei modum, ut discernantur, præscribit.

Pro admini-  
stratione Sa-  
cramentorum, &c. nihil olim in Bohemia Clericis dabatur.

Prohibet item sub Excommunicatione: *nè ullus Clericorum pro administratione Sacramentorum quorumcumque, & aliarum rerum spiritualium, nec pro Baptismo, nec pro Extrema unctione, nec pro benedictione nubentium, nec pro Exequijs, seu sepultura mortuorum, ullum omnino pretium oblatam accipiat, sed contentus sit stabili per annum pensione;* quod hodieque veri in plurimis Europæ provincijs bono more videmus.

Atrocissima verò sunt in hæresim edicta, & meritò: quia nihil eo scelere atrocius.

Illud notabile: Pœnarum loco ferè semper certam pecuniam, pro magnitudine criminis, *in fabricam Metropolitanæ Ecclesiæ* (quæ tum ædificabatur) assignari.

Memorabilis  
Arnesti sen-  
tentia.

Denique (ut aliquando finem faciam) omnia summâ sapientiæ autoritate constituta; *Tituli* ordine pulcherrimo sibi congruentes; magna ubique ex jure Canonico lux, ut si hæc *Statuta* sola servata fuissent, nunquam Bohemiam hæresis afflare potuisset. Vidisse imminentia Bohemiæ mala sacrum Antistitem, multa ejus vaticinia ostendunt (quæ adferam postea) sed in his ipsis Statutis id dissimulare non potuit, & in *Albicum, Conradum,* aliòsque ejus farinae Archiepiscopos, velut amentatas hastas contorsit: *Non potest, ait, esse Pastoris excusatio, si lupus oves comedit,*  
& Pa-



et Pastor nescit; quâ divinâ sententiâ statuta sua Præsul optimus claudit.

Luculentam verò ab his *Arnesti statuta* plagam hæreticos accepisse, ipsi qui sensere, ultro fatentur: *Stransky* sectâ Piccardus, in Repub: Boiem. C. 6. §. 6. *Quamvis*, inquit, *Monachi, Sacerdotesq;* ex eorum ( id est Catholicorum ) grege, *modis omnibus laborarunt*, ut nulla alia, quàm quæ cum *Romanæ Sedis decretis* tota congrueret *Religio*, in *Regno* ( Bohemiæ ) obtineret; ut tamen repurgata, quam diximus *pietatis* ( impietatis dicere debuerat ) *Exercitia* nusquam publica essent, efficere haud potuerunt. *Multis demum*, ac longis sudoribus *Carolo Rempublicam Boiemam* regente, rem eò deduxerunt, ut cum suo, tum confluentium ad *recens Pragæ erectam studiorum liberalium scholam universalem Zelotarum* ( ita Catholicos Statutis Arnesti confixi sunt hæretici vocat ) *peregrinorum instinctu*, omnes ab *Ecclesiæ Romanæ institutis* alienas *Religiones*, promulgatis quibusdam *Statutis* vetuerit primus in *Bohemia Archiepiscopus Ernestus*. Ita ille; cui valdè à *Statutis Ernesti* inflictum vulnus videtur doluisse.

Statutis Ar-  
nesti confixi  
sunt hæretici

Hæc *Arnesti Statuta* tantâ veneratione à Catholicis statim excepta sunt, ut eorum tria exemplaria quisque *Curatus* haberet: *primum* in omnibus Cathedralibus, & Collegiatis, & Parochialibus *Ecclesijs* in ingressu Templorum publico in loco affixum catenulis pendebat; *alterum* in *Sacrarijs* sub sigillo; *tertium* domi *Parochus*, & *Curatus* legebat; neque id solùm, sed in ea *Statuta* ab *Archiepiscopis* successoribus jurabatur; *nemo Canonorum* ( ait *Pontanus Ecclesiæ Pragensis Officialis & Præpositus* ) *ad stallum* et *Capitulum* admittitur, quin prius super ea jurarit; quæ postea *Statuta Carolus IV.* aureâ Bullâ, suo & successorum

In statuta Ar-  
nesti jura-  
bant Canoni-  
ci.

Bohemiæ Regum nomine, confirma-

vit.

Notæ



## Notæ in Caput IV.

**A**rneſti Statuta. *Edidit hæc Statuta proprijs impenſis A 1600. Georgius Bertholdus à Breitenberg S. Metrop: Eccl: Prag: Præpoſitus, Archiepiſcopatûs Officialis, & Vicarius Generalis. Præfatio Pontani tota in eorum laude conſumitur; ait: digna eſſe tanto Præſule, quem vocat zelolum, & Beatiffimæ Virgini Matri MARIÆ valde devotum Archiepiſcopum. Adit ſe Statuta illa ex tribus manuſcriptis Exemplaribus excuſari juſſiſſe, ex quibus ultimum Pilsnæ A. 1517. ſit impreſſum. Laudat ead. Statuta magnus omnino Præſul, & Clementi VIII. Pontifici Maximo chariſſimus (cui gælerum purpureum Pontifex obtulerat, ſed priuſquàm honor Pragæ perveniret, è vita exceſſit) Zbygnæus, inquam, ex Illuſtriſſima Berkarum genere Archiepiſcopus Pragenſis, qui in Præfatione ſuæ Synodi ad Clerum ſic locutus eſt:*

Zbygnæi Archiepiſcopi Prag. de Arneſti Statutis ſententia.

Jam qui, & quales fuerint eiſdem temporibus hujus Regni Clericorum mores, vita, ac diſciplina, ſi nulla alia ex re cognofci poteſt, facile oſtenderent, quæ apud nos conſervantur, Erneſti I. Archiepiſcopi Conſtitutiones. Ille enim ita plenè, atque ita cumulatè omnes Clericorum muneris partes complectuntur, & faciunt, ut neceſſè ſit, & qui tam egregias Conſtitutiones compoſuerit, Antifititem valde egregium, & quibus ad obſervandum propoſitæ fuerint, Clericos pluſquam mediocri virtute præditos fuiſſe.

In Calend. hiſt. 30. Junij.

*Laudavit hæc quoq; Statuta, quod mirère Huſſita Lupacius: Promulgavit, inquit, Erneſtus Statuta, quæ Privilegia vocantur, linguâ latinâ ſcripta, digna ſanè quæ legantur, &c.*

Clerici Bohemia teſtari poſſunt.

*Nè Clerici teſtari poſſint. Id tamen poſtea revocatum, & conſeſſa omnibus Clericis in Bohemia ſub Ferdinando I. Rege, & Antonio Archiepiſcopo Pragenſi teſtandi facultas; qua de re publi-*



re Publica confecta instrumenta sunt, in manibus, idq; ob eam causam, ut Clerici tantò libentius Ecclesiæ Bohemica servirent, & invitarentur ad eam, à qua tantum commodum perciperent, Ecclesiam, atq; his laboribus Religio in Bohemia, id temporis prostrata, resurgeret.

Explicat hac omnia Synodus novissima sub Archiepiscopo Zbygnæo Berka A. 1605. habita, titulo de Testamentis Clericorum: Clerici omnes saculares hujus Metropolis, & Archidiecefis nostræ, etiam si beneficia Ecclesiastica, cujusvis generis obtineant, liberam quidem habent testandi facultatem ex privilegijs antiquissimis, & immemorabili consuetudine; sed de Bonis Ecclesiæ nomine acquisitis, nullo modo testari, seu disponere poterunt. Idem privilegium longè antè Arnestus ipse Clericis omnibus in ditionibus Dominorum de Novadomo, Ecclesiæ servientibus contulit, extatq; id privilegium ab Arnesto datum in Archivo Collegij Novod. S. I. ut ipse vidi. Hoc postea aliqui Dominorum de Novadomo arrogare voluerunt. D. Zacharias de Novadomo, uxoris piissima Matrona Catharinæ (nisi fallor; non enim hac, qua pridem legi, sunt ad manum) de Waldstein precibus, cum illa ante maritum pro Sacerdotibus genua flectendo orare soleret, commotus, privilegium restituit; at illi vicissim ex gratitudine obligârunt se quotannis post S. Lucia diem venturos omnes Novadomum, & triduo pro demortuis animabus, ex familia & cognatione Dominorum de Novadomo Funebria sacra celebraturos, quod hodièq; magnâ Religione præstat. Facit hujus ultronei Contractûs mentionem (præter manuscripta) Bartholomæus Paproczy in speculo Moravia, init. C. de Familia Dominorum de Novadomo.

Privilegium ab Arnesto datum Clericis in ditione Domino-rum de Novadomo.



P

Vene-



Venerabilis Arnesti Archiepiscopi Avenionem ad Clementem Pontificem pro Carolo Principe & Marchione Moraviæ Rege Romanorum creando, Legatio suscepta, fæliciter conficitur.

## CAPUT V.

De his latè e-  
git Odoricus  
Raynaldus in  
Annal. Eccle-  
siasticis Tomo  
XVI. A. 1335.  
& seqq.

Anno 1316. &  
1319.

Ioannes XXI.  
vide Platina  
Caecon. Gault-  
ter in Chronol.  
saeculo 14.

Atrosissima  
Ludovici sceler-  
ra latè refert  
Raynaldus loc.  
cit. & ipsas  
Pontificum Epi-  
stolas, quibus  
cui sapius schi-  
smaticum here-  
ticum & ex-  
communicatū  
declarant.

**M**agnis per hæc tempora motibus Germanicum nutabat Imperium, nihilque propius erat, quam ut sibi quisque Rex, quisque Imperator fieret, cum legitimo Principe Respublica Christiana careret. Nam, etsi *Ludovicus* ab aliqua Electorum Principum parte creatus ab Anno 1314. pro Imperatore se gereret, nuperque Regni æmulum (ope potissimum *Ioannis* Bohemiæ Regis) egregiè magno bello vicisset, tamen cum idem *Ludovicus* postea, contemptâ *Ioannis* Papæ auctoritate, & primæ Sedis obedientiâ, permisceret omnia, Urbem Romanam occuparet, novumque suâ autoritate Ecclesiæ caput, & Principem (qui se *Nicolaum V.* appellavit) tentaret imponere, tantis sceleribus perpetratis quid aliud magis fieri potuit, quam ut ab *Ioanne* primum, tum *Benedicto* Pontificibus, indignus Imperatoris Majestate pronuntiaretur, & ab Ecclesiæ Communione cum suis separaretur? Diu intra minas Anathemata & Pœnæ Pontificum steterunt *Ludovico* ridente; nam veteri potentiâ, tum Principum quorundam, ac præcipuè *Archiepiscopi Moguntini* opibus & auctori-  
tate.



ritate nitebatur. *Clemens VI.* Pontifex ea in re felicior, Anno demum 1346. exauthorato Moguntino, tractisque in partes: *Bohemia Rege Ioanne*, Electoribus: *Trevirensi*, *Colonienfi*, *Saxone & Palatino*, frequentissimis literis, missoque à latere Legato, pervicit, ut nova *Francofurti* ad creandum Regem Romanorum comitia celebrarentur. In ijs comitijs electus Romanorum Rex est, in quem non dubius Pontificis favor inclinabat, Pietate insignis & armis *Carolus Ioannis Regis Bohemia filius Moravia Marchio*; quem, si bellum *Ludovicus* mallet, parem fore, præclara ejus virtus in armis, bellis Tartaricis, & Italicis probata, tum Regis Patris potentia & auctoritas, promittebant. *Carolus* etsi multum ac serio (nam ambitiosus pro se non erat) cunctaretur, seque indignum eo fastigio prætexeret, tamen tantus Principum favor, tanta vis in sententijs fuit, ut non expetentem, etiam renitentem, palam ac publicè latis vocibus ipsi Electores Principes, Regem Romanorum salutârint, ac nisi turbarum author esse mallet, Imperium capessere cogeretur. Ergo cum diceret, *Ludovicum* se imitari nolle, qui aliunde quàm per ovilis Christiani portam, ad Honoris folium ascendisset, summo Pastori *Clementi* (à quo ut pridem vidimus, ea Carolo prædicta dignitas erat) rem totam significandâ, ab eoque probandam esse duxit: Splendidissima adornatur legatio, cujus Princeps *Arnestus Noster*, & *Nicolaus Dux Oppaviensis*, & *Ratiboriensis* cum magno Bohemorum Procerum, & Nobilitatis comitatu ad obedientiam S. Sedi *Caroli* nomine præstandam *Avenionem* perveniunt. Grata Patribus Purpuratis, lætissimèque à Pontifice accepta legatio, qui nimirum consilia sua processisse, punitumque publicâ Principum Germanorum autoritate *Ludovicum* professum Ecclesiæ hostem, & pudendi schismatis authorem, gaudebat, eo maximè Rege Romanorum electo, quem tacicis antè votis optârât, quemque unum omnibus pridem prætulisset. Peroravit autoritate, & eloquentiâ maximâ ad Pontificem, dato Cardinalium senatu, *Archiepiscopus Arnestus*, placidèque multis secundissimæ in *Carolum* voluntatis à Pontifice indicijs, auditus est; responsum liberaliter, *Electio Caroli* comprobata, datæ ad Electores

Eadem habet  
Nicolaus Serap.  
noster l. 5. re-  
rum Mogunt.  
in Henrico.

Raynaldus  
A. Ch. 1346.

Carolus Pon-  
tificis ope  
Cæsar creat-  
us.

Philip. Berga-  
mas A. 1347.  
die S. Marga-  
rite.

Dubrav. l. 21.  
histor. Bohem.  
Hagek. Ann.  
1347. Alij A.  
1346.

Carolus Imp.  
in Vita sua.

Arnestus pro  
Carolo ad  
Pontificem  
Legationem  
suscepit.

Arnestus ma-  
gnâ felicitate & gloriâ  
Legationem  
conficit.



omnes, & separatim ad Archiepiscopos litera, quibus Pontifex, ut ad coronationem Caroli procederent, hortabatur. Legati rebus omnibus Avenione ex sententia confectis, cum adire Electores, ut imperaret Pontifex vellent, intelligunt Principem Carolum Luceburgi morari; illuc prope converso itinere, inveniunt mœrore oppressum, Justa Patri solventem. Namque (ut hoc obiter memoretur) Legatis Avenionem abeuntibus, Ioannes Rex à Philippo Gallia Rege cum Anglis bellum gerente, in auxilium advocatus, commissio infelici prælio, cum cæcus in confertos hostes magno animo, majore temeritate cum suis invehitur, occubuerat, ipso S. Ruffi die (26. Augusti) quem diem multis exemplis Bohemia Regibus fatalem Historici prodiderunt. Hæc illa ad Cressiacum pugna est, quæ flos Gallicæ nobilitatis interiit; Carolum Romanorum Regem electum, qui non multum à Patris fato aberat, animosè pugnantem & jam vulneratum, Bohemi Proceres (difficili inter medios hostes conatu) renitentem, & Equo ab hostibus iterum deiectum, pedibusque prælium renovantem (rati reverentiâ Majestatis in eo rerum articulo opus non esse) rapiunt, Equo injiciunt, & in tutum deportant. Planxere tanti, tamque magnanimi Regis occasum complures eorum temporum scriptores, sed præcipuè, Clemens Pontifex aliquot Epistolis gloriosam hanc Regis mortem multis maximisque laudibus celebravit; Peractis regium in morem Luceburgi funebribus, Legatorum reditu recreatus aliquantum Carolus, in Imperium ad Regni Romani coronam capessendam proficiscitur. Statim Moguntino Archiepiscopo Gerlaco Nassavio (qui Henrico à Wirtzburg amoto, favore Caroli successerat) diem indicente, Bonnam Colonia & Agrippina vicinam electores deflectunt (nam Aquisgranum portas clauferat) ibique S. Catharina sacro die, solenni ab antiquitate cærimonia, Carolum Romanorum Regem coronant. Hæc postrema, nihil ad Arnestum, necessaria tamen ad reliquam historiam cognoscendam sunt visa. Illud insuper animadvertendum, sapissime aulam Pontificis Arnestum accessisse, & Cardinalibus multis familiariter usum, tantamque Avenione (& Romæ præcipuè) sanctimoniam, ac sapi-

Anno 1346.

Caroli IV. bel-  
lica Virtus.

Petrarcha l. 2.  
de rem. utr.  
fort. Dial. 96.  
Clemens Tomo  
V. Epist. secret.  
ep. 527. & 529.

Carolus IV.  
Romanorum  
Rex corona-  
tus.

Anno 1346.  
Dubrau. hist.  
Boh. l. 22.  
Raynal. Anno  
1346. N. 33.

H. S. V. 88.



sapientia apud Clerum & populum collegisse gloriam, ut ab omnibus sanctus Bohemia Archiepiscopus appellaretur; quam gloriam non de nihilo natam, ea quæ libro postremo adferentur, ostendent. Sed mors Ioannis Regis ut in Carolum Principem jura Regnorum omnium transtulit, sic Arnesto, omnium Caroli consiliorum arbitrium, & summum in Aula Caesaris gratia & dignitatis gradum comparavit.

## Notæ in Caput V.

**U**Rbem Romanam occuparet. *De hac Roma occupatione præter alios veteres novosq; scriptores, agit Petrus de Zittavia Abbas Aula Regiæ ad Pragam, qui temporibus is vivebat, & quæ gerebantur videbat, in Chronico Aula Regiæ C. 20. Idem C. 19. recitat Epistolam Civium Romanorum ad Pontificem Joannem, quâ, missis legatis Pontificem obsecrant, ut ad veterem Pontificum sedem Romam revertatur. Sed hac omnia longè antè evenerunt (ante annum videlicet 1334.) eòq; sunt referenda; nè quis à me Chronologia vim inferri queratur.*

Roma à Ludovico Bava-ro capitur.

Nicolaum V. appellavit. *In hunc Antipapam ex Ordine Minorum, lepidissimos & ad illius sæculi Genium appositos versus scripsit idem Petrus de Zittavia Abbas Aula-regiæ, quos historiae suæ inferuit.*

*Idem Abbas Bullam ipsam Joannis XXII. recitat, quâ Ludovicum Imperatorem excommunicat, causasq; facti sui plurimas, & sanctissimas adfert.*

C. 22. sui Chronici.

Legationis Princeps Arnestus noster. *In Arnesto Legationis Principe conveniunt Historici, sed in ejus comitibus dissentiunt: Hagecius, ut modo narravi, Nicolaum Ducem Oppaviensem, & Nobilitatem, & Proceres Bohemos Arnesto comites addidit; at Nicolao & Nobilitate præteritâ, Joannem de Pistorio, Nicolaum*



Tomus 1. Epist.  
1. 3. ep. CVI.  
26.

Raynaldus To-  
mo XVI. An-  
nal. Eccl. An.  
1346.

colaum de Lucemburgo Præpositum Saczensem Pragensem Deca-  
num, Geraldum de Magnaco, Ademarum de Pictavia Equitem  
auratum cum Arnesto Legationis Principe missos ad se ipse Clemens  
in Epistolis nominavit; nimirum isti Legatorum personam gerebant,  
Nicolaus & Nobilitas ad ornandam Legationem mittebantur. Pla-  
cuisse Pontifici Legatos, que consecuta sunt, ostenderunt: nam & ju-  
stus Rex & legitimus à Pontifice publicè appellatus est Carolus, &  
amplissimis verbis laudatus, confirmata eidem Regis Romanorum  
dignitas, reddita legatis amantissima ad Carolum Pontificis litera,  
quas recitat Raynaldus, in quibus argumentum Orationis ejus, quam  
Arnestus in solenni Cardinalium consensu maximà omnis generis &  
conditionis hominum coronâ circumstante habuit, continetur.

26. Augusti  
dies Bohem.  
infausta.

### 5. Rufi die.

Notat Æneas Sylvius C. 23. hist. Boh. &  
Dubrav. L. 21. hist. Bohem. Ottogarum Bohemiæ Regem hoc ipso die  
victum perisse. Idem dies fatalis postea fuit Ludovico Ungariæ, &  
Bohemiæ Regi. Dubrav. L. 33.

Felices aliquos esse dies, alios infelices plurimis exemplis conatur  
ostendere Michaël Piccartus in historico-politicis Decade V. C. 6. An-  
tiqua exempla adducit Plutarchus in Camillo, & in Alexandro,  
agens de tribus ad Philippum allatis eodem die faustis nuncijs. An-  
si etiam sunt quidam horas felices, quibus urbes condenda sint, &c. no-  
minare, ut de Seleucia narrat Appianus in Syriacis; tractat ejus-  
modi Parerga Historiarum Gregorius Richter in Axiomatis œco-  
nomicis latissimè. Vide Lipsium in L. 15. Annalium, Taciti. N. 74.  
Mirus, inquit, ille dierum concursus, & convenientia ab Arca-  
nis Providentiæ causis. *Mihi non vacat hæc  
mysteria discutere.*

Arne-



ARNESTUS Archiepiscopus à  
Carolo Romanorum Rege Princeps  
creatur, ac Maximus Regno-  
rum Minister.

Anno 1347.

## CAPUT VI.

**O**Mnes ante se Reges in Bohemia *Carolus Cesar*, & Bohe-  
miæ Rex militaribus, regijs, ac divinis virtutibus ante-  
cessit; ad id Naturæ bonitas & præstantia sine dubio  
multum contulit, sed institutio non minus: nam etiam  
virtutes discuntur. Militiam à Patre Rege, quem *Achillem* pos-  
ses dicere, tum à Proceribus Regni Bohemiæ, qui *Caroli* latus cin-  
gebant assidue, præstantes armis (*Lippenses, Welharnicenses, Kolo-*  
*wratæ, Novodomenses, Hazenburgici*, aliique) regias & cælestes  
virtutes ab educatione *Gallica*, amitæ *Marie*, *Caroli Gallie Regis*  
conjugæ sanctissima fœmina, & *Ioanne de Cara* morum Magistro,  
tum potissimum ab *Arnesto* percepit, quem unum sibi jam pri-  
dem in adversis rebus suis & Patris irâ, fidissimum senserat, bo-  
nisque omnibus & Regno universo ob dignitatem, prudentiam &  
sanctimoniam charissimum esse sciebat; nec abnuvit *Arnestus*, &  
ad Aulam invitantis imperium accepit, & quanquam sanctæ quie-  
tis dulcedine, & orandi desiderio, ut forsitan eo tempore inter  
Bohemiæ Prælatos nemo magis, teneretur, tamen cum reipublicæ  
salutem, & gloriæ divinæ decus & accessiones cogitaret, privata  
omnia publicis postponenda, ab otio illo cœlesti tantisper avo-  
candam mentem, abneganda longa illa quibus in DEI conspectu  
solus

Caroli IV.  
quædam lau-  
datio.Hagek. Anno  
1336. 1335. &  
sepius.Arnestus ad  
Aulam à Ca-  
rolo vocatur



A Regum in-  
stitutione  
Regnorum  
Fortuna de-  
pendet.

solus affluebat solatia, denique laborandum, & curis aperiendum esse animum duxit. Sciebat sapientissimus Præsul ab institutione, & cultu Regis, regnorum ipsorum salutem pendere; hunc esse publicum fontem, qui si salutaris sit, vota & desideria subditorum impleat; si lutulentus, aut lethali ab adulantibus infuso veneno, aliisque aularum pestibus inficiatur, quid nisi certissimum exitium, & mortem regnorum sequi? quod magnus in aula *optimi Cesaris Traiani* Vir *Plutarchus* ostendit prudentissimo libello, cui titulum fecit: *cum Principibus esse philosophandum*. Mihi Regum institutio Typographiæ persimilis videtur, ubi primas literas ponere gravis & difficilis censetur labor, at si jam prima pagina perfecta sit, & ad typum perveniat, nullo jam negotio exprimentur ceteræ, tantæque id celeritate, & artis fiducia præstatur, ut die uno, unâque ex forma, mille aliæ nascantur. *prima hac forma Rex* est, cujus ad exemplum *Populus* componitur; ut qui unum Principem ex præscripto virtutis educârit, in uno illo Regnum & subjectos omnes populos educâsse videatur, ut probat *Synesius*. Itaque etsi *Arnestus* pridem apud *Carolus* Principem omnia posset, tamen cum *Carolus* regna auspicaretur, multum ad DEI gloriam referre putabat, animum Principis in his regnandi principijs occupare. Ferè enim ultima primis respondent, & ex primis Regum annis prudentes conjecturam capiunt, & Leunculi ex vestigio primo humi presso agnoscuntur. Tenacissimi naturâ sunt Principes eorum, quæ primùm in regnando didicerunt, quippe ea esse fundamenta Regnorum credunt, & legum vices obtinere; ad dignitatem itaque suam pertinere putant cœpta semel defendere, nè errâsse animadvertantur, quâ opinione nihil esse Regi foedius (& meritò quidem) existimant. At vicissim *Carolus*, cum *Arnestum* velut publicum Regni Parentem haberi ab omnibus videt, procul affectibus & simulatibus agentem, nihil desiderare, sperare, nullas opes expectare, nullius calamitate latari (quæ cupiditates sæpe Regum Ministros, cum Regis & regnorum pernicie, in transversum agunt) obsequio in Regem omnes anteire, nihil nisi DEUM, ac Divina, Regnorum deinde in-

Libro de Regno  
ad Imp. Arca-  
dium.

Primi Anni  
Principum  
observandi.

Quibus de  
causis Arne-  
stum Carolus  
omnibus Au-  
licis prætule-  
rit,

colu-



cohumitatem, ac Regis ipsius gloriam, ac utilitatem in consilijs spectare, beatum se enim vero credidit, quòd *Arnesti* tempore regnaret. Addebat non leve momentum: quòd parem in regno dignitate non haberet, adeòque sine invidia *Arnesto* uti posset; nec aberant in Regem merita, quibus omnes reliquos Proceres superabat. Nam *Carolus privatum*, ut dixi, defenderat, coluerat, Proceribus Bohemis commendarat, unius semper partes secutus, & Legationibus susceptis nuper ad Imperij coronam adjuverat. *Summam igitur in rebus minimis maximisq; fidem Arnesto Carolus Rex habebat*, ut ait *Dubravius Olomuccensis Episcopus*; huic non modò regnorum, sed etiam conscientia sua aperiebat arcana, hic consilia omnia moderabatur, & regebat; Ut verò honoratior *Arnesto* Principis familiaritas, & *Arnestus Carolus foret*, radijs suis illustrare tantum Præsulem aggressus, *Arnestum S. R. Imperij Principem* creavit; scio ejus dignitatis collata nullam usquam apud *Dubravium*, aut *Hagecium*, vulgatosque scriptores haberi mentionem, sed ego manuscriptis vetustissimis codicibus, ac literis plusquam vicenis, ab ipso *Carolo Romanorum Rege, & postea Imperatore*, scriptis, ejusq; Imperiali signo munitis, me tuebor, quas omnes *Arnesto dilecto Principi suo* inscripsit, & subscripsit. Quanta postea in Regnum univèrsam, atque ipsum *Carolus* ex *Arnesti* consilijs, & aula ac negotiorum usu, gloria & utilitates redundarint, suo loco videbimus. Animadvertère hanc apud *Cæsarem Carolus Arnesti* auctoritatem *Clemens VI. Innocentius* itidem *VI. Urbanus V.* sanctissimi, & ad commune generis humani bonum, ut ita dicam, geniti Pontifices, eaque *Arnesti* gratia ad commoda univèrsalis Ecclesiae, ad pacem populorum, ad stabiliendas in Italia contra Tyrannos (quorum atas illa ferax fuit) vires suas, optimè sunt usi, ut quòd effectum cuperent, per *Arnestum* ferè *Cæsari* commendarent; ejus rei jam antè quædam allata sunt documenta, & deinceps adferentur. Anno 1355. cum *Innocentius* Pontifex adversus *Turcarum Tyrannidem* omne Christianum nomen exciret, neque nesciret sine *Cæsare* vix quidquam perfici posse, ad *Nicolaum Aquileiensem Caroli fratrem, & Arnestum* præcipuè, literas in eam rem dedit,

L. 22. histor.  
Bohem.

Arnestus  
Summus Ca-  
roli Minister  
& Princeps.

De Clemente  
videl. 2. C. 7.  
3. 3.

Arnesti apud  
Carolus aucto-  
ritas.

Raynaldus A  
1355. N. 42

Innoc. T. 3. Ep  
sacr. pag. 92.



dedit; quos, ut ait *Raynaldus*, plurimum apud *Carolus* gratia & auctoritate pollere sciebat. Anno 1360. *Bernabos Vicecomes* Tyrannus, Sedis Apostolicæ terras hostilem in modum vexabat, *Arnesto* iterum scripsit Pontifex (eas literas citat *Raynaldus* in *Annalibus*) uti *Carolus* ad suscipiendum Ecclesiæ Romanæ patrociniū, & ad coercendos Tyranni impetus excitaret. Excitavit enimvero, magnamque sibi eo pacto apud historicos eorum temporum gloriam, & apud Pontificem gratiam *Carolus* comparavit. Gliscebant *Ludovicum* inter Ungariæ Regem, & *Cesarem Carolus*, iam bellum grave jam jam erupturæ discordiæ, *Arnestum* protinus litteris (ut est apud *Raynaldum*) *Urbanus Pontifex* admonuit, videret, & quâ posset auctoritate *Caroli* animum ad pacem flecteret. Non modò Pacem impetravit *Arnestus*, sed etiam novo conjugio *Caroli*, Regum firmavit concordiam. Plura de his rebus postea. Illud hîc, non obiter animadvertendum (quod mille alijs exemplis approbari potest) Bonorum Principum (quos amat Divinitas, & quorum regna fortunare cupit) eorum, inquam, Principum temporibus, magnos in consilijs, aliisque regno gubernando necessarijs virtutibus, Viros, agente de cœlo Providentiâ, exoriri & emergere, quos Regibus velut custodes, & *humanas*, ut ita dicam, *Intelligentias* apponit DEUS; contra accidit ijs, qui Regna pessum ire sinunt, & Reges se & Parentes populorum esse non meminerunt, ut claris Viris, quibus errores admissi in Regnis emendari possent, ferè destituantur, & inopiâ meliorum, *Ministros dubios*, periculosissimis in consilijs & negotijs, adhibere cogantur.

Anno 1363.

*Urbanus* To. 1.  
ep. secr. pag. 71.

*Raynal*, Anno  
1363. & 1364.  
N. 10. & 11.

Felices Prin-  
cipes, egre-  
gios habent  
Ministros.

## Notæ in Caput VI.

*Caroli Cæsa-*  
*ris præstan-*  
*tia*

**O**Mnes ante se Reges. *Verba non mea, sed Du-*  
*bravij Olomucensis Episcopi de Carolo sunt, hęc, cujus etiam*  
*gubernationem pulcherrimam toto libro 22. historia Bohemi-*  
*ca commendat, quod etiam antè L. 21. fecerat. Pius II. Pontifex*  
*C. 23. Carolus Imperator, inquit, Vir magnorum operum. Vide*  
Hagek



C.VI. ARN. SVMMVS IN AVLA CÆS: MINIST: 123  
Hagek in hist. Bohem. maxime Schickfus: in Annalibus Siles: L. 1.  
C.33. Pontanum in Carolo.

**Naturæ Bonitas:** Carolus Princeps maximus, omnium scientiarum capacissimum ingenium ad litteras attulit, quadam etiam ex Evangelij doctissime est interpretatus; Linguas calluit plurimas. Ex divina gratia, ait ipse in Vita sua, non solum Bohemicum, sed Gallicum, Italicum, Teutonicum, & Latinum sermonem ita loqui & scribere scivimus, ut una lingua istarum sicut altera nobis apta esset. Neq; modò Cesar ipse Carolus cujuslibet (ut ita dicam) gentilis esse voluit, sed decreto etiam Norinbergæ A. 1356. edito, Principes omnes Imperij monuit, uti filios suos ab ætate septimo loqui assuescerent Germanicè, Slavicè, Latinè, Italicè; eam enim rem ad felicem & latam populorum gubernationem plurimum adferre momenti, & plus quàm ullam aliam scientiam Regibus prodesse, ac incredibilem erga Regem in populo amorem efficere, si suam eum linguam loquentem audierint. Laudat id quoq; Pius II. Epistolâ 430. quâ Ladillaum Bohemiæ Regem instruxit: avo, inquit, Tuo materno maximi cordis Regi, tantum profuit linguas nosse complures, quantum Patri tuo nocuit ignorasse; & post: Regna non minus amor, quàm ferrum tuetur, sed amari eum, qui non amat, impossibile fuerit; amoris autem conciliator, linguæ commercium. Vide plura in eam sententiam; sed me à Carolo Cesare argumenti gravitas paulum abstraxit. Longum esset pulcherrimas hujus Principis enumerare virtutes. Lege citatos authores, & vitam ab ipso scriptam, & orationem Joannis Archiepiscopi in Funere Caroli, quam edidit Marquardus Freherus.

Linguarum  
notitia Prin-  
cipibus ne-  
cessaria.

Historia Sca-  
lecensis Ann.  
1356.  
Raynaldus  
Annal. Eccl.  
Anno 1356.  
Rebdorff: A-  
gentinas, Gol-  
dast in Collect.  
Cens. Imper-  
rial. Tom. 14.

**Ab otio Cœlesti.** Pulchrè id expressit in aureolo li- bello Thomas à Kempis: Oportet dilectum pro dilecto relinquere.

**Arnestus apud Carolum omnia posset.** Lege historias Bohemiæ & Manu scripta vetera, ubiq; invenies hujus intima familiaritatis vestigia; nec dissimulavit Carolus, adeò etiam in literis Imperialibus hunc suum amorem profretur, ob illum diu- turnum (ait in quibusdam literis A. 1350. X. Calend. Novembr.) sinceritatis affectum, & affectivæ dilectionis flagrantiam, quibus

Caroli Cæsa-  
ris, & Ernesti  
familiaritas.

Q 2

Arne-



Arnestum Archiepiscopum, &c. gratiosis semper favoribus prosequimur, &c. *Idem habet Borek in hist. Boh. fol. 322. 325. idem alij scriptores, Hagek 1348. & 1358. qui sepius colloqui solitos de gloria, regnisq. suis amplificandis commemorat; Dubrav: L. 22. Passim animadvertes Arnesti consilio, quem à latere suo egre sinebat discedere, omnia gesta. Ob eam causam factum puto (quod in literis Caroli sepe notavi) ut, dum Aula & Imperij Principes enumerantur, Arnestus ante alios omnes primo loco ponatur.*

### Arnesto sinè Invidia Carolus utebatur.

*Imò etiam cum omnium approbatione, pauculis invidis exceptis, qui nunquam magna virtuti desunt. Notavit istud vitæ scriptor vetustus magno ab omnibus hominibus dilectionis affectu prosequeretur Arnestus, &c. Rara hæc summis Aularum Ministris gloria, ex corde amari. Non blandiantur sibi Regum Ministri de honoribus, quos Aulici, Urbes ac Provincia ultro ipsi deferunt. Magna est inter honorum & malorum ministrorum honores differentia: Bonos, ob amorem ac beneficentiam, Cives, Nobilitas, ac Regnum ex animo saluant; malos, honorant & adorant, nè velint nocere. Sic olim Romani Fobrem, Pallorem, Cometam, &c. colebant, & fulgetra adorare solebant. Timor fecerat Deos, non amor.*

Rarissima est in Aulis gloria sincere amari.  
Plin. l. 29. hist. Nat. c. 2. vi. de Politian. in Miscellan. c. 32.

### Arnestum Imperij Principem. Venerabilis,

*ait in Aurea Bulla Carolus Imperator, Arnestus S. Pragensis Ecclesiæ Archiepiscopus, Princeps & devotus noster dilectus. Eundem titulum observabis in alijs literis: in Donatione Evangeliorum S. Marci: Carolus DEI gratia, &c. Venerabili Arnesto Archiepiscopo Pragensi, Principi, &c. & in donatione S. Crucis, & in confirmatione Privilegiorum sanctæ Pragensis Ecclesiæ, & alias sapius; ut derogare fidem tanta literarum authoritati nemo possit. Et quid plura aggerimus? ab Arnesto habent successores Archiepiscopi quod omnes sint, & ab omnibus Principes habeantur.*

Archiv. Glac. S. 1.

Anno 1354.

1352. 4. Idus Maj.

### Ex Arnesti Consilij.

*Reges prudentissimorum Virorum consilij, & Ministeris egere, Politici omnes docent, & probavit scriptor Novus Gallicus C. 24. in Ministerio Cardinalis Mazzarini.*

Reges Ministris necessariò uti debent.



C.VL. ARN. *SVMMAVS IN AVLA CÆS. MINIST.* 125  
rini: Sol licet mirabili claritate fulgeat, astra tamen ex Divino ordine admittit, &c.

**Adversus Turcarum Tyrannidem.** *Urbani* in Annal. Eccl. Anno 1365.

*litteras Carolum ad bellum Turcicum adhortantis recitat Raynaldus* Caroli Imp. Turcicū bellum molitur.  
*datas Avenione 1363, 8. Cal. Junij. Quin adeò A. 1365. Avenionem ipse Casar accessit, & de bello Turcico gerendo consilia contulit, ac prater operam suam omnem, etiam necessarios comitatus per Vngariam in Turciam ituris Exercitibus promisit; quod si Rex Vngaria transitum eâ parte negaret, classem suis impensis adornaturum se, qua milites Christianos in Asiam transportaret. Hac omnia arcana Caroli Casaris consilia, Gallorum Regi, ut eum in hoc fœdus attraheret, per Epistolam, que extat, Pontifex patefecit, ac Caroli in rem Christianam studium mirificè commendavit. Sed hec tam pia consilia, militum Patriam respicientium levitas, ac deinde domestica Principum Christianorum discordia abruperunt, ut latè narravit Raynaldus. Hec qua modò narravi, è diametro pugnant cum ijs, que de Carolo Casare scriptores patrij, ac Dubravius præcipuè commemorant. Hic postremus Carolum Casarem longâ oratione de Turcico bello, quàm illud omni atate infeliciter à Christianis sit gestum, dissentientem, auxilia negantem, fœderi subscribere recusantem inducit. Ego Pontificijs literis, quas ea de re legimus, plus tribuo; nisi forè temporum ratio scriptores nostros excuset, ut bellum, quod antè Casari placuit, postea mutatis Principum, ac ipsorum militum animis, discordijs crescentibus, clade maximâ acceptâ, finiendum esse, ac ponendam tam infelicis belli cogitationem Carolus prudentissimè judicârit.*

**Bonorū Principum temporibus Viri magni.** Magni viri chari esse Principibus debent.

*Verissimum ex historijs, Imperia Regum Bonorum, exortu doctorum siderum consignari, neg, scio in Antiquitate egregium aliquem Principem, qui egregijs in consilio viris caruerit. Vide Scipionem Amirat: discurs: Politic: in Tacitum; Ab Ens in Thesauro Politico; Annibale n Scotum in Tacitum, &c. Apud Typotium exempla L. 1. de Hierograph. N. 123. Hinc illa apud Principes ingeniorum & prudentia estimatio; notum est quid Darius optârît, in Herodoto*



126 DE VITA VENERABILIS ARNESTI LIB. II.  
L. 3. & Carolus V. audiens in Anglia Joannem Roffensem & Thomam Morum occisos, si in meis, inquit Regnis talia duo lumina haberem, quamcunque munitissimam Civitatem mihi auferri paterer, nè his privarer. *Plura Bisciola Noster T. 1. subscribor. L. 5. C. 22.*

Quam Vitæ Rationem, & formulam vivendi Venerabilis Princeps Arnestus hoc tempore sequeretur.

## CAPUT VII.

Sentio jam pridem expectari à me, ut quotidianam in Archiepiscopatu *Arnesti* vitam, & quæ domesticæ, ut ita dicam, & quasi interiores ejus occupationes, & curæ in tanta dignitate, & Aula gloria fuerint, breviter aperiam. Etsi autem in ultimam hujus libri partem differre *Viri Virtutes* statuerim, aliquid tamen ex ijs hoc quoque loco delibandum esse, ipse video. Nihil referam, quod testimonijs veterum Codicum probare non possim.

I.  
Arnesti summa cum DEO conjunctio.

II.  
Arnesti Aula cenobio Regiosorum virorum persimilis.

In primis summam cum DEI Majestate amicitiam, & penè familiaritatem ingressus erat *Arnestus*, còque jam assiduâ exercitatione mentis pervenerat, ut etiam in medio gravissimorum negotiorum, & aulæ strepitu, aut ipse in Cælo versaretur, aut DEUM ante se versantem in terris aspiceret; hinc omnis mali otij odium, & sempiterna rerum Divinarum, ac cœlestium meditatio precèsq; lacrymis plerumque, ac gemitibus velut gemmis distinctæ. Aulam habebat *Arnestus* splendidam ac nobilem, magno Prælatorum, Clientum, Nobilium, & Capellanorum, ut vocant, numero, tamen



men ita jam constantiâ suâ sibi certam & constantem, ut Cœno-  
bio alicui religiosissimo, rerum agendarum ordine, & silentio,  
cùm opus esset, nihil concederet. De media nocte ipse surgebat,  
aderant certi Capellani, nocturnumque sacerdotalium precum  
officium cum Præsule recitabant: eos ferre non poterat *Arnestus*,  
qui se tam nobilium precum & Psalmorum deproperatione, omni  
divino solatio, quod sensim in animum stillat, privare ultro velle  
viderentur. Nocte insuper *Hora Beatissimæ Virginis*, quas vocant  
*minores*, persolvebantur; cujus Virginis amor *Arnesto* à prima æta-  
te insitus & antiquissimus fuit; eam ille Matrem, eam singularem  
patronam, & advocatam appellabat; ejus simulacrum privato  
in Oratorio domi quotidie adorabat, & cùm faceret iter, vehe-  
bat, *Clericis suis ad somnum revertentibus* (ait vitæ scriptor *Ar-  
nesto* coævus, nam Urbanum V. modernum Pontificem semper  
vocat) *Arnestus meditationi aut lectioni Divina se dabat; & si erat  
Missam officiaturus in mane, suspirijs, & crebris singultibus dabat se in  
lacrymas.* Sed quæ tandem illa meditatio, aut quod ejus argu-  
mentum? arbitror concionum labore occupatum, cùm ad Cæsa-  
rem & Aulam, præcipuis per annum diebus diceret, lucubrâsse; sed  
is quoque minimus & rarus *Arnesto* disertissimo Principi labor;  
explicuit alio in loco, quod quærimus. idem vitæ scriptor, cùmq;  
post sacrum quotidie *de Beatissima DEI Matre meditari* solitum,  
narravit. Ex his scilicet nocturnis & diurnis Meditationibus,  
Cœlestis ille liber *de Excellentibus DEI Matris super omnes Creatu-  
ras prerogativis & præcellentijs*, ortum habuit, in quo tanto, tamq;  
exaggerato amore, tantisque laudibus *Beatissimam Virginem* ex-  
tulit, ut exemplum eo sæculo nesciam, æquaritque sanctissimos il-  
los viros *Bernardos, Damascenos, Ildefonsos*, qui in ea celebranda  
feliciter ingenia consumserunt. Nemo sterile argumentum *DEI  
Matrem* esse putet; *Arnesti* librum consulat, faciliè intelliget, eò  
usquè amore progressum, ut nihil in natura rerum excellens &  
præclarum esset, in quo velut in speculo (qui absolutissimus amo-  
ris gradus est) dilectam suam non videret. Annibalis aureos pu-  
teos

Elogium Ar-  
nesti Glacij Ty-  
pi datum.

III,

M. S. V. S.

VEN. Arne-  
sti sanctæ oc-  
cupationes  
& lucubra-  
tiones.

26. 10. 15.



De Annibal<sup>is</sup> teos invenisse diceret, & venas, quæ exhauriri nullis conatibus in-  
 auris pasci  
 Mariana hist. genij possent, cum *abyssus abyssum invocaret*; nimirum.

Hisp. l. 1. C. 14.  
 & 19.

*Facundum faciebat amor,*

Staius. fatiarique amando (quam notam divinus amor peculiarem obtinet) non poterat.

Virg.

*amor non talia curat.*

*Nec cythiso satiantur Apes, nec rore vicæde.*

Elucubrâsse antelucanis illis vigiliis plurimos alios libros, multâq; ut erat ingenio rapido & cœlesti, commentarum, scriptores vetusti significant, sed eos libros commune multis egregijs ingenijs excepit fatum, ut fuisse, non esse sciatur; neque posteritas culpâ caret, neque nos, qui cum nova sectamur, antiqua perdimus, & (qui iudicij morbus est) contemnimus. Jam verò lachrymarum,

M. S. Vita. quas ante Missam fundebat, potissimam causam insinuat vitæ

IV.

Quàm dilt. a Promotionis sua tempore, propriâ manu, in quodam libello describere, quatenus eos, ad resistendum is, & corrigendum plus memoria commendaret. Hos igitur relegens, & recolens cum dolore, solvebatur in lacrymas. Omnino *Arnestus* se omnium mortalium improbißimum, Sanctorum more, credebat, adeoque sua omnia velut abortivum quoddam intuebatur, & super errores singulos flebat. Hinc in narratione illa, quam moriens scripsit, & spargi in populum & vulgari iussit, *canem se fœtidum, & peccatorum maximum* appellavit, etsi ignorare non poterat, homines in Virtutis schola parùm versatos, facile induci posse, ut occulta quædam & gravia in se peccata hære suspicarentur. Adulto jam die, & negotijs omnibus, quidque agendum foret, expensis, *mos sibi fuit*, ait idem scriptor, *cum omnibus Prælati, Capellani, atq; Clerici domus sua, alijsq; adventantibus, in linea per directum coram ipso stantibus* (*Missâ cum legeretur, & ipse Missam legit, vel audivit, & dum coram eo alius legeret*) *in Missali ante ipsum sento per Capella Clericum, vel promotione minorem, cum dictis Prælati, & Clericis totum officium ipsius Missa legere, & postea de B. Virgine ordinatis & morosis ac-*

gentibus ruminare. Vide singularem sancti Antistitis in Deiparam

Dies Venerabilis Arnesti.

V.

M. S. Vita, sed valde intricato sensu.

Pietas ejus erga DEI Matrem constantissima.

Nota.

ram



ram pietatem ! Illud, nè Lector erret, addere oportet : *sacris Marianis Arnestum* delectari solitum, & intertuisse quotidie ijs, quæ in *Aurora* peraguntur, & *Matura* (quod maturè inchoari solent) apud nos vocantur; quarum etiam authorem in Bohemia *Arnestum* Antiquitas facit. Pergit vitæ scriptor : *Nullus tunc quando Missam audiebat, vel etiam ante Missam, cum eo, etiam de suis proprijs negotijs, loqui poterat; nimirum cœlestibus ac æternis vana, caducaque misceri indignabatur; Sanctorum hæc iracundia esse solet, divini Numinis consortium & amicitiam abrumpi non ferentium.* Cùm verò prima Pietatì tempora dedisset *Arnestus*, id quod Cæsarem docuerat, præstabat ipse, & publico in loco aspectabilem se omnibus, & congressum petentibus paratum offerebat, neque Majestatem quâdam vultuosâ compositus, & dignitatem suam ore assimulans, sed amabili & hilari vultu semper ferè stans, aut nonnihil mensæ acclinatus, audiebat. Et erat in illo simplici statu summa dignitas : quippe procerum *Arnesto* corpus, magnæ oris autoritas, quam comitate maximâ temperabat. *Syraculis & Rhodi* nullum diem sine interventu *Solis* esse docent *Veteres*; idem in *Arnesti* vultu vidisses, idem semper humanitatis radius, eadem comitas, ut observari anxie & captari tempora opus non esset. Audiamus iterum vitæ scriptorem : *Ad Salam* (ita Palatium vocat) procedens, omnibus pauperibus, & divitibus pio vultu, sed humiliore, corde audientiam præstitit; quos benigne, & cœu *Agnus mansuetus* stando, & manibus & visu compositis audiebat, & sine intervallo temporis, si potuit, expedivit. Dum verò propter sui absentiam (Cæsaris enim consilia vocabant) vel ob negotij qualitatem id solus explere non poterat, *Prelatis* qui sibi aderant, cum omni sedulitate commisit, celerius, quo fieri poterat, terminandum.

Ad *Caroli Cæsaris* Aulam deinde, & ad Procerum regenda consilia proficisceretur *Arnestus*, in quibus omnibus quid spectaret, quidque eo *Authore Carolus* perfecerit, postea dicemus, inerat dicendi tanta vis, ut obsisti non posset. Os illud cœleste Proceres, si qui consilijs exerrarent, timebant; nec mirum: avita & Regno nota Nobilitas, promptissimum naturâ ingenium, scientijs

VI.

Admissio ad  
VEN. Arne-  
stum facillima.

Seneca ad Mar-  
tiam in Consol.  
C. 17. Idem ha-  
bet Plinius in  
hist. Nat.

Ejusdem co-  
mitas & affa-  
bilitas.

VII.

Authoritas  
Arnesti in  
Cæsaris aula

R

ad



ad hæc omnibus, & peregrinationibus Germanicis, Italicis, Gallicis exultum, Archiepiscopalis dignitas, morum sanctimonia, libertas Ecclesiastica, summorum Pontificum & Caroli favor & gratia, longa Roma & Avenione in aula Pontificum collecta rerum experientia, invictum in sententijs ferendis *Arnestum* præstabant. Neq; tamen cessabat aut superari poterat, quæ summa tanquam ignis petit, *Invidia*; satisque constat gravissimas dimicationes aliquando suscepisse, detrectatum Virtutibus, corruptos honores ac præmia; *Srenuo ac virili animo*, inquit Vita Scriptor, *pro Iustitia dimicabat, non parcens contra ipsam pauperi nec potenti*, murum pro domo DEI seponens. Maximam fertur id temporis *Invidiam* subijisse, cum regiâ illâ suâ, & cœlesti Eloquentiâ in Procerum conventu ostendit abolendas esse, quas cæca supersticio invexisset *per ignem & aquam probationes*. Quippe *Bohemi* ad eam ætatem ferum candens si tactum non ureret, aut aquam frigidissimam hauftam, neque tamen redditam, in caussis dubijs adhibere solebant. Restitère *Arnesto* suadenti Proceres; vicit *Arnestus*, eamque sententiam secutus est, & amplissimè laudavit *Carolus Imperator*. *Arnestus* insuper Archiepiscopali Edicto fieri in posterum vetuit, & ut ait vita Scriptor, *cessare fecit omnino, magnâ resistantiâ & displicentiâ Baronum Regni non obstante*. Trophæum hujus Cœlestis Eloquentiæ in Capella S. *Wenceslai Praga* hodièque videmus: ipsam illam *Acerram ferream*, quam candentem & prunis plenissimam Rei testésque in judicijs tangebant. Jam *Arnesti* mensa nunquam vacua, semper hospitalitate celebrabatur: *Duodecim pauperes* quotidie (quos œconomus ex trivijs advocabat) cum sancto Antifite vescebantur; eos nisi saturos non dimittebat, ut disertè scribit *Hagecius*, & nummis argenteis duobus abeuntes donabat: nullum unquam pauperem sine stipe, currum præterire sinebat; sed aptior de amore in pauperes alibi dicendi locus erit. Alebat domi, magno & præsentis pretio invitatos, Librarios, qui eleganter (nondum enim Typographicam artem Orbis noster habebat) sacros libros, *Antiphonaria*, ut vocant, Missalia, Ereviaria, aliósque hujusmodi Sacerdotales Codices, tum etiam acta Ecclesiæ, aliâque

Amer Iustitiz.

VIII.

In Pauperes  
beneficentia.

A. 1364. C. 118  
in M. S.

Lib. 9.

IX.

Magnificen-  
tia in Sacris.



aliæque in usum templorum exscriberent; & præcipuè *Arcana*  
*Missæ verba* (*Canonem* dicimus) in membranis auro, aliisque co-  
 loribus ad gratiam illuminari pingique jubebat; ipse deinde *Pius*  
*Præsul* supremam addebat manum, & corrigebat errantes. Vi-  
 dimus ipsi sancti Præsulis manu correctos in vetustis codicibus er-  
 rores, tantæque erat apud *Arnestum* librorum sacrorum multitu-  
 do & copia, ut ejus beneficentia pleraque Collegia Sacerdotum,  
 Parochiæ, ac Religiosorum Cœnobia ditarentur. Texebantur  
 etiam domi, & labore multo concinnabantur aureæ, argenteæ,  
 aliæque pretiosæ vestes in aras, Tempa, & Sacerdotales appa-  
 ratus; sed ædificationes Templorum, Cœnobiorum, oppidorumque  
 potissimum *Arnestum* tenebant, tot enim arces, tot turræ & mu-  
 nita oppida, tot Cœnobia condidit, aut ornavit, aut cinxit, tot  
 pietatis causâ publicas domos erexit, ut qui ea cum annis *Arnesti*  
 Archiepiscopalis conferat, ætatem ultra putet. Reliquum omne  
 tempus Ecclesiasticis, & Aulicis negotijs dabatur, ad eum enim  
 majora negotia *Imperator Carolus* deferebat. Sic acto per curarum  
 omne genus die, nocte furtim adrepente, ipse in diem sequentem  
 dispositis consilijs, ac deliberationibus, curisque jam diurnis fessus  
 ad se se redibat; tum acri primùm judicio examinatis omnibus, si  
 quas per imbecillitatem naturæ contraxerat, noxis; deinde desle-  
 tis, ac tandem separatim in libello ad id parato, scripto compre-  
 hensis, atque etiam expiatis, prece præmissâ, cubitum concedebat.  
 Cubiculum verò eâ ratione disposuerat, ut à nemine, etsi præsen-  
 te, lectulus conspiceretur. *Ubi* (verba sunt vetusti Scriptoris)  
*dejectus in stratum, per Cubicularium suum Clericum sibi fecit Vitæ*  
*Patrum, aut in alio adificativo Codice legere, usq; dum sopor in-*  
*gens ipsum lectionem non sineret auscultare. Tunc interdum somno*  
*in ipso lecto capto, interdum verò, dum Cubicularius eum crederet*  
*in lecto Episcopati cubare, ipse mollem lectum declinans, manibus an-*  
*te lectum, aut humo se prostravit.* Non igitur mirum tam durè  
 cubantem, & somnum vexantem, facile consurgere ad preces po-  
 tuisse. *Mediâ nocte*, ait idem, *cùm alijs ut assoler, sopor major ex-*  
*oresceret, nè inimicus humani generis eum inveniret dormientem,*  
*consurgebat.*

X.

XI.

XII.

Vesper Arnesti.

XIII.

Nox Arnesti.

R. 2.

Hæc



Hæc ille. At ego contentus delibâsse aliquid de virtutibus, & gustum quendam lectori dedisse, ne caput hoc nimio excresecat, concludo, plura sanctimonix numeris omnibus absoluta exempla in virtutibus toto libro quarto adferam. Quanquam facilè quisq; qui vel à limine vitam cœlestem, & divinam introspexit, intelliget, hæc sinè magna corroboratâque & confirmatâ virtute, in medio negotiorum & vitæ Aulicæ æstu, perfici non potuisse. Ex minimis maximarum rerum argumenta petuntur, primæq; lineæ eruditis oculis *Apellem*, aut rudem aliquem, qui *cucurbitas pingit*, ostendunt. Nunc ad temporum ordinem redeamus.

Minima maximarum rerum sunt argumenta.

## Notæ in Caput VII.

**A**ulam habebat Arnestus splendidam. *Erat hæc tum consuetudo, ut Regni Proceres ac Dynasta in argumentum potentia, eos omnes Nobiles (quos Clientes vocabant) in Aula sua, in liberis servisq; haberent, quicunque villas aut pagos in eorum ditione tenebant. Itaq; ut ex M.S. Rosenfis historia Codice, qui apud me est, patet Rosenbergi Proceres sæpe centum, aut etiam pluribus nobilibus Equitibus comitati ad Comitata Regni ventitabant, magnôq; eorum numero cincti procedebant in publicum; hos Equites deductâ à militia voce, Volones Aulicos posses appellare. Idem Arnesto Archiepiscopo æstatum, Principi, ut ex omnibus gestis apparet, magnifico & splendido; adeôq; invaluerat hic mos apud Archiepiscopum, cui liberet, prandendi, & Archiepiscopum sequendi, ut ob hanc præcipuè causam postea, Albicus Archiepiscopus, Müglicio ortus, ne tot Nobiles (ut ait Pontanus) in Aula sua pasceret, cum Conrado Westphalo Decano Wissebradensi officium commutavit, cum diceret: nihil se molestius audire posse, quam maxillas Nobilium ossa frangentes. De cujus sordibus vide Dubrav. L. 23. hist. Bohem. Æneam Silvium C. 25. Pontanum in Archiepiscopis. Hagek eandem causam relictis Archiepiscopatus adduxit A. 1411.*

Aulicus splendor apud Arnestum.

Pontanus in Albico.

Avantia sæpe excidio viam æternit.

Cum



## Cūm nova fedamur, antiqua perdimus.

*Commune id vitium atatis nostra, que antiqua amittit, & nova non acquirit.*

Moribus antiquis cūm *Tellus patria vixit,*  
Aurea tunc ætas, aureus orbis erat.

Nunc antiqua jacent, Novitas insana probatur;  
Ut larvæ, nostri despiciuntur *Avi.*

Moribus antiquis si nos vixisse pudebit,  
In Patria Civis non erit, hospes erit.

*Sed librorum veterum peculiaris apud nos infelicitas. Quanto dolore vidi in quibusdam Bibliothecis membranas conscriptas lacerari! centū typo editos libros malim, quàm unum utilem ex manuscriptis codicibus perire. Nam illorum jactura pluribus exemplaribus compensatur, & perire tot locis non possunt, manuscriptus & ineditus liber, si semel perit, semper perit. Quantum manus incedit & inamantes linguarum (ut delicatissimè dicam) vetustis in Bohemia libris nocuerunt! quot ego ipse ad piper Iudaicum damnatos eripui! inter eos historia Rosenfium Procerum manuscripta, quam alibi non vidi; deinde Chronicon Bartholomæi de Drahoniez, pluresq; alij fuerunt Historici præcipuè libri servandi. Hæc cogitent, qui manuscriptis abundant libris, neq; sinant, obsecro, perire!*

Manuscripti  
Codicis dili-  
genter assor-  
vandi.

Maturæ apud nos vocantur. Hoc pietatis ge-

nus primus in Pragensi Ecclesia longè ante Carolum Cæsarem, præ-  
sente pecuniâ attributâ fundavit Udalricus de Pabienicz, Canonicus  
Ecclesiæ Metropolitanæ Pragensis, Vir nobilissimus, & Juris utriusq;  
Doctor, gratulorq; vetustissimæ stirpi Woraczickiorum (ex qua U-  
dalricus prodijt) quòd per eam divina Mater pulcherrimo invento  
(quod universa propè Bohemia amplexa est) celebrari gloriam suam  
voluerit. Maturarum tamen originem vetustus Codex, & traditio,  
quam R. P. Georgius Crügerius Soc. IESV sequitur, ad Arnestum re-  
fert. Dicendum erit, aut Arnestum pulcherrimi operis Udalrico sua-  
sorem & authorem fuisse, cūm Decanus Ecclesiæ Pragensis esset, aut eas  
maturas ab Arnesto latè propagatas & inductas. Hodie per plurimas  
Bohemia Civitates ea Sacra in Aurora DEI Matris honori canuntur,

Maturæ, sacra  
in Aurora.

Hagek. A. 1334.  
Paprecius in  
familia VVora-  
czickiorum.  
Vide supra l. 2.  
c. 1.

Litterarum  
eccus in Bo-  
hemia.



qui canunt Litteratos se, nomine antiquo, appellant, estq; illa Congregatio aut Societas potius, vetustissima, & alicubi ex legibus gubernatur. In Rosenbergensium Procerum ditione Lomnicij antiqua est Litteratorum memoria, quam in manuscriptis legi; valuit Lomnicensium exemplum ad Novodomenses, institutiq; Litterati, quibus Henricus de Novadomo confirmationem Privilegiorum a Summo Pontifice, certasq; Indulgentias circa annum Domini 1490. legitur impetrasse.

Arbitrium  
Litteratorum  
Novadom.

Spiritus Christi  
dulcedine  
conditur.

### Benignè ac ceu Agnus mansuetus.

Talis Christi Domini Spiritus est optimi nostri Imperatoris, nati à Patre ad orbem regendum; ad eum Turbæ properabant, eum comprimebant, ad eum portabantur & currebant parvuli, cum peccatoribus manducabat, erat magnes Amoris, desideratus gentibus, gallina se comparavit, erat via qua teritur, erat Orpheus, qui traheret omnia ad se ipsum! Suavis est Spiritus ejus, & dulcis. Panem suavissimum præstat de Cælo. Notavit Spiritum Christi dulcissimum D. Ambrosius, vel in illo factò, cum esurientes discipulos per sata duxit, ut illi commodius præ fame spicas vellere possent.

### Ferrum candens.

Scaltæ pro-  
baciones In-  
nocentiz in  
Iudicijs apud  
Majores.

Indicia in Septentrione nostro diu se male habebant, tardè Iustitia leges recepimus. Nam leges priores ad Idololatriam fuerunt accommodata. Ferro candente passim in Germania innocentia probatur, aqua frigidissima offerebatur bibenda, quasi rejiciebatur, hominem condemnabat. Duella in dubijs causis suscipiebantur (ut Vellerus in Boicis, aliq; scriptores commemorant) victus duello, divino quoq; judicio damnari videbatur. In Polonia, ut refert Cromerus L. 12. si quis in Iuramento publico faciendo verbo lapsus esset, atq; ad eò minimum hesisset, vel titubasset linguâ, causa quantumvis justâ cadebat, quod deinde sublatum. Multa adhuc quarundam Regionum legibus, Barbarâ & in humanâ feritate scripta, servantur.

Acerra ferrea in Sacello S. Venceslai Trophæum Arnesti.

### Trophæum Cœlestis Eloquentiæ.

Est in Capella S. Venceslai, in ipso S. Viti Metropolitano Pragensi templo, ad cornu Epistola in majore Ara, in pariete depicta Effigies Christi de cruce pendens, sub cujus pedibus sacris illa acerra ferrea altè parieti inserta spectatur.

Pri-



Primæque lineæ Apellem ostendunt. Ex linea inchoata scimus quò vel in infinitum sit itura. Tractavit hunc locum Plutarchus libro: Cur oracula edi desierint, & Seneca 7. Ep. 53.

Miraculum Novum ad tumulum S. Wenceslai, inter manus VENERABILIS Arnesti patratum; Carolus ab Arnesto Archiepiscopo Bohemiæ Rex coronatur. Clemens Pontifex Arnesti virtutem ac prudentiã honorat, eumq; Apostolicæ Sedis Pœnitentiarium in Imperio Romano pro se constituit.

## CAPUT VIII.

**H**oc ipso tempore, quo Principis gratiã florere cœpit *Arnestus*, divinum quoddam miraculum ad tumulum *S. Wenceslai Ducis & Martyris* patratum, assinationem *Arnesti* apud Principem non mediocriter auxit. *Erhardus*, *Erhardi Cutenensis* Civis filius, adultã etate juvenis, in gravem morbum inciderat; in eo morbo, nescio quo terrore repente admisso, consternatus sic est, ut nè verbum in posterum proloqui sciret, mutusque summo parentum dolore quinto jam mense perstaret. Pragam ad *S. Wenceslai* sacrum corpus à miraculis

Miraculo presenti per motus Carolus Sacratu 9 Wenceslao maximo opibus condit.



culis celebre moestissimi Parentes cum filio veniunt, & *Arnesto* supplicat. Ille nihil moratus, & jam antè, ut narravi, *S. Wenceslao* praesidens, vocatis quàm plurimis Ecclesiae Clericis, & ministris, ad tumulum accessit. Spectabat *Rex Romanorum Carolus*, simul jubet populum DEI misericordiam adorare, & ardentè pro misero opem postulare; tum *S. Wenceslai* capite reverenter in manus accepto, in muti caput deponit. Vix admoverat, mutus clarissimè loqui, & beneficium *S. Martyris* praedicare; populus praedmiratione plaudere, clamare, lacrymari, & omnia, ut solet, simul agere. At *Caroli* animum ingressa admiratio, liberalitatem excivit, mandat continuò (quod unum maximè *Arnesto* placiturum, sciebat) *fabricam Ecclesiae Pragensis* diligentius auctis sumptibus aedificari; tum hanc ipsam *Divi Wenceslai Martyris Capellam* magnificè exornari, tantæq; fuerunt illius Templi divitiæ, ut lapidibus pretiosis insertis, parietes omnes tegerentur, ac murorum vicem subirent, ut videmus. Longiùs etiam progressa *Caroli* Pietas ad *S. Wenceslaum* usque (cujus nomen *Rex* gerebat) pervenit, visusq; est *Carolus* ad demerendum sanctum Martyrem cuniculos Pietatis, ut ita dicam, egisse. Itaque bonâ Pontificis Romanî gratiâ, sacrum *B. Martyris* tumulum *Arnesti* manibus aperiri voluit, per purgari sacros cineres, ossa, ut ætas illa solebat, vino lota decenter componi, ac novum in Ecclesia Pragensi festum institui diem, quo ejus compositionis aliqua extaret memoria. Ea de re Martyrologium Vetus *S. Ecclesiae Pragensis* in hunc modum loquitur. *V. Cal. Julij Recollectio Ossium sive Reliquiarum S. Wenceslai gloriosi nostri Patroni, per Rev. in Christo Patrem Dominum Arnestum Archiep. Primum Pragensem facta, de mandato Serenissimi Domini Caroli Rom. Imp. semper Augusti, & Bohemiae Regis ipso praesente. Hac manuscriptus Codex. Imitati Regis Pietatem, ut amat fieri, Proceres, Tumulo S. Martyris exornando affixere Emblemata quadam, seu clypeos ex auro, argentoque, magno aurificum labore & ingenio cufos, in quibus clypeis militaria singulorum Procerum signa spectabantur, adeoque his clypeis inscriptus S. Princeps Wenceslaus, totumque Mausolæum contextum est. Opus hoc magnum.*

In-

Hagik. A. 1347



Inventionis, & venustatis commendationem apud Cæsarem Carolum, qui eruditos ad artificum labores oculos habebat, dicitur meruisse.

Jam illud majore beneficio *Carolus Arnesto* adjunxit: Tenebat *Bohemia Regnum*, miro populi ac Procerum consensu *Carolus*, sed coronatus ob angustias temporis non erat; nam coronatio in Imperio, deinde turbarum quarundam compositio, aliæque negotia, non permiserant. Turpe videbatur foris honoratum, & coronatum apparere, domi in *Patria Bohemia*, nondum ad debitos Regibus honores ascendisse. Itaque cum primùm *Pragam* attingit, accersitis optimis in auro Magistris, & Aurificibus, veterem *Regni Bohemiae Coronam* constari, additisque pretiosissimis gemmis novam fingi, & fabrefieri jussit. Descriptione factâ, ipse cum necessarium iter in *Moraviam* haberet, Conjugi *Blanca*, sorori *Philippi Francie Regis*, opus commendat. Nihil sibi ad summam diligentiam reliquum fecere Aurifices; nam licet Rege absente, non cessabat Regina, & mittebat ad magistros quotidie, jamque corona perficiebatur, cum renunciant Aurifabri, auri nonnihil desiderari. Regina, cui nihil in opus Rex de auro præterea reliquerat, fortè etiam muliebri animo, ne quid daret de suo, audit in *S. Wenceslai* sacro Capite auream coronam Ducum Bohemiae antiquorum inveniri. Protinus nullo (nè *Arnesto* quidem consulto) postulat à *Canonicis*; illi nihil suspicati, & credentes inspici velle, mittunt. Ex hac quantum auri opus esset, aurifices accipere Regina jubet. Ita corona nova perfecta est, Regina sibi multum placente, quòd redeunti Regi diligentiam suam ex celeritate operis posset approbare. Demonstratur redeunti continuo corona, rogat *Carolus*: utrumne aurum operi suffecisset? negat illa, sed ex *Corona S. Wenceslai*, quod defuisset, acceptum. Fulminea illa vox *Carolo Regi* videbatur, ita exhorruit, animoque prostratus est: inauspicata hæc esse Regni sui initia clamabat! neque se nuper Patris morte doluisse magis; denique quod in *Moravia*, & per viam reputans timuisset, id sibi accidisse (vide quanta *Caroli* teneritudo, quantaque Pietas!) nullum jam consolationis genus,

S

etfi

Corona Regni Bohemiae  
Nova parata.

Dubrav. bise  
Beh. 1, 220



error Regina  
pulcherrimo  
Arnesti con-  
silio, emenda-  
tur.

Procop. Lupa-  
cus in Cal. hist.  
3347.

Coronationis  
Carolinæ  
gloria Ptera-  
te concludi-  
tur.

Hagek. A. 1347  
Ad Nivus.

etsi multa tentarent *Proceres*, admittebat ad animum, lucem ipsam oderat, tenebras & solitudinem dolori quærebat, donec *Arnestus Archiepiscopus*, autoritate suâ nullum esse peccatum, quod ignorantia simplici gestum erat, ostendit, emendariq; majore *S. Wenceslai* gloria posse docuit: nam ut antè Ducum, ita nunc Regum Coronam in capite suo *S. Martyrem* habiturum. His aliisq; rationibus opportunè allatis mox *Regem* erexit, atque ut ad coronationem animum adijceret, persuasit. Anno itaque 1347. Comitij Regni *Bohemia* prius de Jure celebratis, invitatis ex omnibus terris, ac præcipuè ab Imperio Principibus, maximâque Nobilitate, summâ gloriâ, in Ecclesia Metropolitana *S. Viti*, ab Archiepiscopo *Arnesto* 2. Septemb. totius populi, bonorumque omnium approbatione & lætitiâ, inter Sacra, cum *Regina Blanca, Carolus* coronatur. Descensum inde ad veterem Urbem Pragensem ad eam domum, quæ hodie *Richta* dicitur, ibi regium in morem splendide *Carolus*, Imperij Principes & hospites suos accepit; Nobilitate Bohemâ pretiosissimè armatâ, *Regi* novo serviente. Ludi deinde apparatusissimi exhibiti in foro, edita simulacra belli omnia, decursum & concursum omni genere armorum, aliâque publica lætitiæ, & triumphorum præbita argumenta. Alterâ statim die, cum *Rex Carolus Pietatem Regnorum esse fundamentum* crederet, in Comitatu Principum hospitem, *Procerum*, omnisque Nobilitatis, primum lapidem cum *Arnesto* Archiepiscopo in foro *Novæ Urbis Pragensis* in fundamenta dejecit, & *Templum Beatissimæ Virginis MARIE* dedicavit. Tenuère ludi, & Triumphus regij multos dies; denique hospites commeatu petito pretiosissimis muneribus donati, *Pragâ* discessere; Corona nova in *Tumulum S. Wenceslai Martyris* illata, & Capiti sacro, ut *Arnestus* monuerat, summâ veneratione imposita est; cautum insuper Regij litteris nè alio in loco (nè apud Reges quidem) quàm in *S. Ducis* capite in omne tempus servaretur; ita *D. Martyrem*, qui Regni titulum, Virtutis amore, vivens contemserat, non in Cœlo tantum cœlestes, sed etiam in terra, & sepulchro terrestres Coronæ fugientem, & mortuum sunt assecutæ. Sed ad *Arnestum* redeamus, quem extremo



tremo anno (1347.) Clemens à prudentia laudatissimus Pontifex, & sagacissimus virtutum explorator & aestimato, plerisque Germaniæ Præsulibus tacito iudicio videtur prætulisse. Interierat præceps ab equo lapsus Ludovicus Romanorum Rex, tot edictis à Sede Apostolica confixus, cupiebant igitur in gratiam cum Ecclesia redire non pauci Episcopi, Abbates, & Principes, Proceres Imperij, urbes ac milites, qui partes Ludovici nuper secuti Ecclesiam oppugnârunt: quærebatur de tot Germaniæ Præsulibus unus aliquis, cum quo auctoritatem suam Pontifex quodammodo partiretur, qui & felicitatem in reducendis tot Principibus, & prudentiam ad tantum munus adferret. *Arnestum* unum omnium aptissimum Aula Romana censuit, de quo jam pridem Avenione ea vox circumferebatur, quam Codex Manuscriptus habet: *non habere Alemanniam, imò totam Ecclesiam DEI, talem Prælatum, qui observaret legem Excelsi.* Itaque, ut loquitur *Rebendorffius*, & ex eo *Raynaldus*, *Baronij* Continuator, *absolutionem sententiarum in Ludovici Adherentes latarum in Alemannia Clemens Papa in solidum D. Arnesto Archiepiscopo commisit*, ut Præsules Principesque omnes & urbes, & quoscunque alios ad Ecclesiam redeuntes reciperet, Viduâ Ludovici, filiisque ejus tantum exceptis. Jurabant ex formula in *Arnesti* manibus, qui Ecclesiæ restituebantur, cumque *Arnestus Caroli* exercitum per Germaniam volentem comitaretur, magnum ea res optimo & quietis amantissimo Præsuli attulit laborem. Adactæ ad imperia facienda Germaniæ urbes (quas inter Ratisbona, Niremberga, Witembergia univèrsa, Argentina, Bambergæ, Herbipolis, aliæque plurimæ) ad Ecclesiæ gremium redierunt. Extant hisce de rebus actis gratulatoriæ Clementis ad Cæsarem Carolum epistolæ, neque res tantæ anni unius spatio perfici potuerunt, ad annos complures productus est labor. Anno sequenti primùm Basilea, Spira, Wormatia, Moguntia aperuere, Carolo portas, plurimique ad Ecclesiæ communionem sunt recepti partim Arnesto, cumq; is recipiendis non sufficeret, Joanne Pistoriensi, internuntio Apostolico, & alijs, quos nominârat Pontifex, gratiam facientibus. *Eruperat enim*, ut loquitur *Argentinas*,

*Arnestus*  
summus Pœ-  
nitentiarius  
in Germania.

*Raynaldus* in  
*Annalib.*  
*Gordonus* S. I.  
in *Chronolog.*  
*Bellarmin.* in  
*Chronolog.*  
*Spondanus* in  
*Annal. Eccl.*  
*Serarius* in *Moguntia.*

*M. S. vetus Vi-*  
*ta Arnesti.*

*Rebderff* in  
*Annalib.*  
*Raynaldus* in  
*Annal. Eccl.*  
Tomo XVI.  
Anno 1347.

*Alber. Argem.*  
in *Chron.*

Tomo VI. *Epist.*  
*secr. 225. &*  
1490.

*Ragna.* in *An-*  
*nalib. Eccl.*  
Anno 1348.

*Argent.* in  
*Chronico.*



tinæ, Carolus è Bohemia, validòq, succinctus exercitu Germaniam peragrabat, & quæ armorum terrore, quæ Censurarum religione devinctos populos, ostensâ veniæ, & cum Romana Ecclesia gratiæ spe in suas partes adigebat. Idem habet anno sequenti 1348. Ray-

Raynal. loc. cit.

L. 2. Epist. post  
Ep. com. 799.

naldus: *Lacessitus*, inquit, *Bavarorum Principum injurijs Carolus Rex signa adversus eos extulit, perq, Ruperti Ducis ac Palatini ditio- nem ferrum Bohemicum, flammâsq, circumtulit.* Formulam verò, quâ in communionem Ecclesiæ reciperentur Schismatici, Arnesto Pontifex misit, quæ inter Clementis Epistolas invenitur.

## Notæ in Caput VIII.

Gemmarum  
ferax Bohe-  
mia.

Anselmus Boë-  
kii lib. de  
Gemmis.

Paulus Artti-  
mus in Tab. Bo-  
hemia.

G. Dornav. in  
Principe In-  
ventu. in it.

In Notitia Re-  
gni Bohemia.

Par. Bertius  
in Tab. Geogr.

Mercat. in At-  
lante.

In libris de  
Gemmis. avari  
Rudolphi dedi-  
catis.

**L**apidibus pretiosis. *Iaspides magnâ parte sunt, & durat ad nostram usq, ætatem hoc templi decus. Simile opus in arce Carlsteinensi visitur; Gemmarum autem & pretiosorum lapidum ferax est Bohemia, quorum aliqui (ut nominatim de Granatis Bohemicis affirmant peritissimi quiq, Gemmarij) tolerantia, duritie, & venustate, etiam Orientales vincunt; alij colorum alacritate spectabiles studiosè petuntur, scitûmq, est Itolorum (quotannis, nemine prohibente, ad eam fossionem in Bohemiam venientium) dictum: Vaccam pretiosiori, quàm ipsa vacca sit, lapide à Pastore in Bohemia ad Wyfokam peti. Huc pertinent illa Gasparis Dornavij V. Cl. de Bohemia scripta: Innumeros Topazios, Adamantes, Iaspides, Granatos, Conchas Margaritiferas, hinc inde Bohemi eruunt. Multiplicemque agathiten, pupureumque amethystum, fortèan- haud ignobiliores ijs, quas ex oriente conquirimus, nisi opinio hominum, quæ vim sæpe veritati facit, pretium auget. Sed de his alius aliquando erit scribendi locus, uti & de auro Bohemico, cujus frustra decem pondo Regi sæpius oblata scimus. Interea de gemmis orientalibus, & Bohemicis earumq, natura, coloribus, differentijs & pretio vide præstantissimum Rudolphi Cesaris Pragæ Medicum, & peritissimum gemmarum Anselmum Boëkium. Colliguntur gemma multis in Bohemia locis, ac præcipuè in montibus Gyantum, qui*

Bohe-



Bohemiā à Silesia dispeſcunt; κερκόνοσσοι ὄγοι ſunt. Ptolemæo, nos iſdem verbis krkonosky Hory dicimus.

**Novam Regni Coronam.** Describit eam accuratiſſimè nominatis omnibus gemmis Wencellaus Hagecius, ut dubitare omnino non poſſim, eum, dum ſcriberet, coronam præ oculis habuiſſe, nam nec claviculum ullum omiſit. Certè pretio dignitate ac venuſtate nulli alteri regia in Europa corona cedere dicitur: vidimus eam in coronatione Ferdinandi IV. Anno 1646. cūmq; alia, dignitate major, adieſſet, hæc neſtra, igne & luce gemmarum & auri, & formâ ſuperabat, velut inter ignes luna minores. Eſt corona, ſceptrum, & pomum aureum, anulus Regius, in quo Rubinopalas maximus ſpectatur. In Corona Rubini Orientales ſunt. novem & decem, Rubini palasij octo & viginti, Smaragdi viginti quinq;, Sapphiri novemdecim, gemma majores viginti; omnes orientales & pretioſiſſima atq; unâ cum anulo gemmas conſciunt. centum & duodecim. Scribit Remondus de Orig. heres. L. 4. C. 8. clauſam ſuperne Coronam, Regem ab omni alio independentem notare, ideôq; Regis Daniæ, Sueciæ, Bohemiæ, Ungariæ, Neapolis, Angliæ, &c. quia ſuperiores agnoſcant, apertas ſuperne eſſe. Quod alias Coronas attinet, neſcio. De Bohemica certè teſtari poſſum, (teſtis oculatus) eam non minùs ſuperne clauſam eſſe, quàm Gallicam, cujus figuram accuratiſſimè exſculpi curavit Garallus noſter in ſacris Rhemenſibus, habetq; Corona Bohemia ſuperne in medio crucem auream, & in ea Chriſtum Crucifixum ex grandi Sapphiro. Porrò vaticinium quod ante Annos ducentos in Coronam Bohemia inſeruit Chriſtannus, integrum ex vetuſtiſſimo Codice exſcripſi & ſervo.

Claud. Ptolemæus in Geogr. l. 2. qui vixit ſub A. Chriſti 160.

Anno 1647. & Schickfus in Annal. Sileſiæ l. 1. C. 30.

Corona Bohemiæ ſuperne clauditur.

De Chriſtanno Lupac. in Calendario 19. Jul. & 30. Novembr. Cuthen. Notis ad Sylv. in C. 13.

Dies Coronationis Caroli IV.

**2. Septembris.** Ita Lupacius; at Schickfus. L. 1. C. 3. die 5. Septembris coronatum ab Arnéſto Carolum ſcribit, Hagek, die Dominico ante feſtum Nativitatis Beatiffima Virginis; Pontanus in Carolo, ipſâ die Nativitatis; Chronicon Glacenſe M. S. Michaëlis Præpoſiti Dominicâ infra octavam Nativitatis: cui præ altero fidem habere debeam, neſcio. Interea Lupacium ſequor virum diligentiffimum, & qui in ſuo Calendario dies memorabiles Bohemia conſignavit.



Corona S.  
Wenceslai  
reddebatur.

### Corona nova in tumulum S. Wenceslai.

*Fiebat id ipso Coronationis die sub noctem, dabaturq; tribus Ecclesie Pragenseis Viris in manus: Decano, Custodi, & Sacristano; qui speciale in eam rem juramentum habebant; neq; alterius gentis esse poterant, quam nati Bohemi; qua de re sunt Caroli Cæsaris littera, & Apostolica Clementis VI. quibus excommunicat Regem, qui coronam Prælati restituere cunctaretur; debebat verò restitui cum munere, (trecentis scilicet sexagenis grossorum Bohemicorum) quæ pecunia in Templi facta recta convertebatur.*

VENERABILIS Arnestus pro Regum Bohemiæ Coronatione Diploma successoribus Archiepiscopis impetrat; Universitatem Pragensem Carolus Rex Bohemiæ consilio Arnesti fundat, cujus Universitatis primus Cancellarius Arnestus constituitur.

Anno 1349.

## CAPUT IX.

Arnestus opera sua æternare cupiebat.

**H**Abebat hoc Arnestus perpetuum, ut rebus, quas semel inchoarat, quandam semper æternitatem addere cuperet; itaque non contentus inchoasse, divinitatis imitatione, eadem inchoata conservabat, & conservari semper, nunquam perire, volebat. Et sanè tot vicissitudines temporum, voluntatum, ac morum, tot sæculi mutationes & inclinationes sunt, ita orbis in orbem vertitur, ut nulla unquam supervacanea



canea diligentia videatur ad ea constituenda, quæ superesse nobis, perennare, æternæque esse volumus. Æternitatem hanc in omnibus rebus, quod plurimis documentis ostendi potest, spectabat *Arnestus*; quot ego in Manu Scriptis ejus diligentia vestigia lego! quot ejusdem sæpe rei ab *Arnesto* exemplaria invenio! explicari non potest, quanto studio sua stabilire sit solitus! *Glacensis Cœnobij* fundationem eodem exemplo, iisdem sigillis sæpius *Canonicis Glacensibus* reliquit, ut deperdi simul omnia non facile possent, eadē *Fundatio* ut à *Carolo Cæsare*, *Aurea Bulla* infereretur, perfecit; eandem *Fundationem Romani Pontifices*, eandem alij, alique Principes Viri retulerunt; tot super ea re litteræ, tot testimonia visuntur, ut etiam adamantini oculi lectione tot rerum atteri posse videantur. Idem in Coronatione, quam Superiori Capite nominavi, secutus consilium est. Nam *coronare*, breve quiddam & tempori datum esse, censebat; ergo qui longè posita & futura æquæ ac præsentia cerneret, æternitatem hujus gloriæ, successoribus quærebat; neque satis fuit à *Summo Pontifice Bullam* obtinuisse, (quæ Coronatio, & unctio *Bohemia Regum* ad *Archiepiscopos Pragenses* spectare in posterū declaratur) sed alias ea de re literas *Caroli Romanorum Regis*, & *Imperij Principum* anulis munitas impetravit, quas recitat *Hagecius*.

Regis Bohemie Coronatio ad Archiepiscopos Pragenses spectat de Iore.

Anno 1347.

Ad reliqua hoc anno gesta faciamus gradum: Plena per id tempus *Praga* operis, & artificum laboribus, plena tumultus fuit; sed gratus ille novis Civibus accidebat sonus, quem non bellum, concussis ancilibus, sed *aurea Pax*, ligonibus innocuis suoque miti apparatu faciebat. *Nova Civitas Pragensis* ab ipso *Carolo* descripta condebatur, cingebatur muris, turribus muniebatur. Bientennium illa ædificatio tenuit; *VVissobradum* quoque *Arce* quasi unâ manu reparabat *Cæsar*. Translatâ in reliquam *Bohemiâ* imitatione, surgebant omnia, domus publicæ, privatæque, moenia, villæ, piscinæ, horti, vineæ; Regis exemplo, omnis Procerum in hoc labore cogitatio consumebatur. Nemo tamen ad Regiam, ac *Cæsaream Caroli* magnificentiam propius æmulatione accessit, quàm, ut infra docebo, *Arnestus*, qui in *Domo Archiepiscopali* ædificanda

Barroff in M. S. Ann. 1348.

Arnestus splendide ædificat.



ficanda hoc tempore occupabatur. Nihil humile de *Arnesto* quisquam suspicetur; nam, etsi summam vitæ sanctimoniam coleret, *Pontificalis* tamen illa *virtus*, & Sanctitas fuit; nihil enim desiderari splendoris in Aulicorum numero, in reliquo apparatu vestium, ciborum, & ornatu Aulae, Templorum, domorum, clientumque suorum patiebatur.

Dubr. *Æneas*  
Sylv. *Pontan.*  
Lupac. *Cuthen.*  
VVeleslavinus,  
Hagek, &c.

Universitatis  
Pragensis ori-  
go.

A. 1348.

Lupac. in Cal.  
histor. 26. Jan.

Littera Clemens  
in VI.

Paprotius in  
*Arnesto.*  
Sylv. in histor.  
Bohem. C. 33.  
Schickf. histor.  
Silesia. lib. 1.  
C. 30.

Caroli dicti  
sapiens.

Sub hæc immortale, & omni dignum præconio consilium Regi suggessit: *Universitatem studiorum omnium Praga* excitaret, quæ *Parisiensem* æmularetur; hoc unum abesse *Bohemiae* decus, quo continerentur omnia. Id opus ab *Arnesti* colloquio cum Rege, profectum significat *Hagecius*; non opus hortatu multo, rem magno animo *Carolus* aggressus intra anni spatium confecit. Ante omnia *Clemens Pontifex* imploratus A. 1347. 26. Januarij, *Avenione* Urbe *Narbonensis* Galliae, litteras Apostolicas dedit, & Universitatem, quam *Rex* & *Archiepiscopus* molirentur, scientijs omnibus (nè *Theologia* quidem exceptâ) docendis instruendam, multis verborum favoribus approbavit: *Ut* (inquit inter alia) *Regnum istud, quod Divina Bonitas multitudine populi, rerumque, copiâ praeceperit, fiat litterarum fertilitate facundum, ac in eo quemadmodum auri & argenti copia dignoscitur, sic scientiarum praevalentium sit abundantia, ut viros producat consilij maturitate conspicuos &c.* Hujus Bullae fragmentum in manu scripto codice *Crumloviensis* Bibliothecae à me repertum, quia *Regis Caroli pietatem, Regni felicitatem, Pragensis Urbis cælum & salubritatem* commendat, & pro omni adversus æmulos testimonio esse potest, in *Notis ad Caput* præfens subjeci. At *Caroli Romanorum Regis Bulla aurea* Universitati data, Annum 1347. 7. Aprilis diem præfert, atque adeò manifesti erroris arguuntur, qui Annum sequentem erectae Universitatis nominârunt; *Cancellarius* ob dignitatem, & interiores altissimâsque litteras à *Carolo* dictus *Arnestus* est. In ea Universitate *Rex* ad multam noctem audire disputantes solebat, *Arnesto Cancellario* præfente, quæ res notissimo illi *Apophthegmati* causam dedit: *disputationes eruditorum, Regum cœnas esse debere.*

Circum-



Circumferuntur de hac Carolina Universitate veteres, sed aurei  
& delicati versiculi:

*Huc Reges quoq, saepe commeabant  
Doctorum sapientiã fruentes,  
Hymnos inter & hos choros sonantes,  
Cum tyronibus aureis in armis,  
Ætas aurea Principum bonorum,  
Hac exempla dabant sequenda plebi.*

Non est instituti mei Universitatis hujus gloriã & consilij utilita-  
tem commendare. Lacrymæ potiùs oboriuntur, quòd, unde Re-  
gno salus ab *Arnesto* quærebatur, inde hæresis primùm, deinde  
Patrum mem oriã, fœda adversus Principem, eo ipso in loco icta,  
ab Ordinibus Regni hæreticis, fœdera emerferunt.

*A. 1616.  
1617.  
A. 1618.  
Slavata in M.  
S. historia suor.  
imper.*

## Notæ in Caput IX.

**A** Summo Pontifice Bullam de coronan-  
dis Bohemiæ Regibus obtinuisse, &c.

*Bulla hæc non jam primùm data, sed annis ab hinc sex à Be-  
nedicto XII. quam recitat Raynaldus. Ibidem literas Apostolicas  
invenies, quibus ab Imperio Archiepiscopi Moguntini Episcopus  
Pragensis absolvitur, vetaturq, eidem parère. Data sunt Avenione  
Anno VII. Pontificatûs Benedicti. Itaque si error in numero non  
est, non ad Arnestum has literas, sed ad Joannem ejus antecessorem,  
missas oportuit, siquidem Benedicti Annus VII. erat. Annus Domini  
1340. quo tempore Arnestus adhuc Decanus, non Episcopus fuit, sed  
& alij errores duo in Raynaldi Annales irrepsere: in primis quæ  
A. 1340. de Coronatione futura, Caroli narranda fuerunt, Anno se-  
quenti leguntur; deinde Archiepiscopum Pragensem nominat, cõg,  
titulo literas inscriptas recitat, cum idem ipse post quatuor annos pri-  
mùm (scilicet A. 1344.) scribat, Archiepiscopatum Pragensem  
erectum fuisse.*

*Rayn. in An-  
nal. Eccles. To-  
mo XIV. Anni  
1341.*

*Idem A. 1346.*

T

Ab



Ab Arnesti Colloquio. *Vniuersitatem Pragensem ab*

Arnestus  
nullam in V-  
niuersitate  
Carolina  
fundationem  
fecit.

Arnesti colloquio ortum traxisse facile assentior, at, quod de suo addidit Hagecius: grandem quoque pecuniæ numerum Arnestum collegisse, Regique obtulisse, id quidem nullâ ratione dictum puto. Ego certe (quod sine arrogantiâ dictum sit) scripturas omnes veteres Vniuersitatis Carolinae, quæ ad ætatem nostram pervenerunt, Foundationes, omnes Originales, ut vocant, incorruptas, sigillis pendentibus, Collegiorum singulorum Institutiones, Regesta, Rationes, Legata, singularum item Facultatum libros, &c. non semel pervolvi, neq; indiligenter, quæ ex usu forent, annotavi (& dum hæc scribo, sunt omnia ad manum) neq; tamen vel tenuè vestigium Foundationis alicujus, quâ Arnestus Vniuersitatem sit profecutus, inveni. Habeo omnium Collegiorum fundationes & Fundatores, & in numerato accepta omnia, de Arnesto nè verbulum quidem. Si quid contulit Arnestus, id verò tam tenuè fuisse oportuit, ut diligentissimi homines Majores nostri (qui librum unum alterumve donatum, aureos quatuor vel quinque Facultati, Nationive alicui ab origine prima Vniuersitatis legatos, aut exsolutos annotârunt) id dignum non esse, quod memoria commendaretur, putaverint. Mihi itaque verisimile non sit: Arnestum ad Vniuersitatis Carolinae fundationem pecuniis innumerabiles (quas somniat Hagecius) contulisse, cum suum id opus esse voluerit gloriosissimus Imperator Carolus, seq; unum in omnibus literis Fundatorè appellet, quod etiam Pontifices Clemens VI. Innocentius VII. agnouerunt.

Clemens litteras Apostolicas dedit. *Earum*

*litterarum exemplar agente Fridmanno de Praga Canonico Capella Regia omnium Sanctorum in castro Pragensi, ac Rectore Vniuersitatis studij Pragensis, recognitas, & cum autographo diligenter, & publicâ Notarij jurati fide comparatas; atq; ut nunc loquimur, vidimatas Anno 1376. 8. Januarij, in peruerusto Codice Collegij nostri Grumloviensis inveni. Resulit eandem Bullam, sed mutilam in Annalibus suis Raynaldus, quadam digniora adferre opera precium existimaui.*

Rayn. in An-  
nal. Eccles. To-  
mo XVI. Anno  
1347. N. 11. ex  
Epistola Clem.  
1.2. Epist. com.  
1149.

Cle-



Clemens Episcopus servus ser-  
vorum DEI ad perpetuam rei  
memoriam.

**I**N *suprema dignitatis Apostolica specula,* Vniversitas  
Carolina à  
Pontifice  
confirmatur.  
*quanquam insufficientibus meritis, divi-  
nae dispensationis munere constituti, ad u-  
niversas fidelium regiones, eorumq; profectus  
& commoda, tanquam universalis dominici  
gregis Pastor, commissae nobis speculationis a-  
ciem, quantum nobis ex alto permittitur, ex-  
tendentes, fidelibus ipsis ad quaerenda litera-  
rum studia, per quae Divini Numinis, san-  
ctaeq; Catholicae fidei cultus protenditur, ju-  
stitia colitur, tam publica quam privata res  
utiliter geritur, omnisq; prosperitas humanae  
conditionis augetur, gratiosos libenter favo-  
res impendimus, & opportune commoditatis  
auxilia impertimur. Nuper siquidem, pro  
parte Charissimi in Christo Filij Nostri Karoli  
Regis Romanorum illustris, Nobis exposito,  
quod in suo Regno Bohemiae multisq; alijs ei-*

T 2

dem



Pragensis ur-  
bis commen-  
datio.

Hinc primū  
Raynaldus  
Bullā inchoat.

dem Regno finitimis regionibus atq; terris,  
Generale studium, quod in illis partibus sum-  
mè foret expediens, non haberetur, quòdq;  
Metropolitica Pragensis Civitatis in ipsius  
Regni medio loco, quàm saluberrimo sita, &  
à diversarum partium gentibus frequentata,  
ac in victualibus alijsq; vitæ necessarijs copio-  
sa, ad hujusmodi Generale regendum, dum  
particulare dudum in ea fuit studium, accom-  
moda multum existat: Nos considerantes exi-  
miam devotionis & Fidei puritatem, quam  
tam ipse Carolus, & Prædecessores sui Bohe-  
mie Reges, quàm ejusdem Regni incolæ ad S.  
Romanam Ecclesiam gessisse, ac ipse Karolus  
Rex & incolæ gerere dignoscuntur, ferventi  
desiderio ducimur, ut Regnum ipsum, quod di-  
vina Bonitas multitudine populi rerumq; co-  
piâ prædotavit, fiat literarum fertilitate fe-  
cundum, ac in eo, quemadmodum auri & ar-  
genti copia dignoscitur, sic Scientiarum præ-  
valentium sit abundantia, ut viros producat  
consilij maturitate conspicuos, virtutum redi-  
mitos ornatibus, ac diversarum facultatum  
dogma-



C.IX. ARN. CONSIL. DE VNIVERSIT. PRAG. 149  
dogmatibus eruditos, sitq; ibi fons irriguus, de  
cujus plenitudine hauriant universi, Litera-  
libus cupientes imbui documentis.

His igitur omnibus, & præsertim amœni- <sup>Nota.</sup>  
tatibus Civitatis præfate, diligenti examina-  
tione pensatis, & c. de Fratrum nostrorum, <sup>Nota.</sup>

consilio, Apostolicâ auctoritate statuimus, ut  
in dicta Civitate Pragensi, perpetuis futuris  
temporibus Generale Studium vigeat in qua-  
libet licita facultate: & quod legentes & stu-  
dentes ibidem omnibus Privilegijs, libertati-  
bus, & immunitatibus concessis Doctoribus,  
legentibus, & studentibus commorantibus in  
studio Generali gaudeant, & utantur, & c.

Illi verò qui in eodem studio dictæ Civitatis <sup>Nota.</sup>  
examinati & approbati fuerint, ac docendi  
licentiam & honorem, seu titulum Magisterij  
obtinuerint, ut est dictum, ex tunc, absq; exa-  
mine & approbatione aliâ, loquendi & do-  
cendi eam, tam in Civitate prædicta, quàm a-  
libi ubicunq;, quibuscunq;, tam dictæ Civita-  
tis, quàm quorumlibet aliorum locorum, seu  
Generalium studiorum, in quibus voluerint



legere vel docere, Statutis vel Consuetudinibus contrarijs Apostolicâ, vel quacungq; aliâ firmitate vallatis, nequaquam obstantibus, plenam & liberâ habeant facultatem. Nulli ergo omnino hominum, &c. Dat: Avin: VII. Kal: Februarij. Anno V.

Id est ad. Jan.  
A. 1347.

Annum sequentem. An Universitas 1347. an-

Quo anno V-sequenti condita sit, disputatur: sed conciliari sententia possunt.

Nam Lupacius, aliq; Annum 47. ponentes, litteris Pontificis, & Caroli se iuventur, nondum tamen inchoata studia sunt, nisi Anno 1348. quod scilicet Hagek, & Cuthenus respexerunt.

Lupacius in  
Calend. hist. 1348.  
ponit 1347.  
20. Januarij.

Hagek A. 1348.  
Cuthenus Notu  
ad C. 33. E-  
nie Sjlvi.

Error Mie-  
chovij.

Nè Theologia quidem exceptâ. Non id gratis

positum: scimus eo seculo quasdam Universitates erectas, in quibus omnia Pontifex doceri permittit, solâ Theologiâ exceptâ. Vide Mtehovium L. 4. hist. Polon. C. 21. qui errat luculenter, cum Carolinam Universitatem Anno primùm 1361. erectam, & ab Innocentio Papa VI. confirmatam scribit.

Universitatis hujus gloriam. Infiniti esset o-

peris historiam, & laudationem pertexere. Legantur Programmata Giczinskij. Trium primorum Collegiorum foundationem narrat Hagecius A. 1348. & aliorum A. 1385. & 1407. Adamus Huberus Bohemus Medicus, & Mathematicus insignis, affirmabat Carolinam Academiam confirmatam à Clemente Papa VI. Anno 1346. 25 Januar. horâ 21. minuto 42. & inchoatam Pragæ 1347. die 6. Apr. horâ 21. minuto 34. Vnde Universitatis incrementa & auctus, item decrementa & elades, ex aspectu siderum predicere solebat.

Lacrymæ potiùs oboriuntur. Paulus Zidek in

quinq; Universitatibus creatus Doctor in Vita Manuscripta Caroli IV. quædam habet de Universitate Pragensi; ait, 26. Studiosorum millia



millia una die Pragâ discessisse ab Hussio heresiarcha offensos; Hægek verò quadraginta millibus plures fuisse dicit. Referunt Scriptores A. 1407. in Matricula Vniuersitatis annotata fuisse, quadraginta quatuor Studioforum millia. Errant graviter, qui Carolinam Vniuersitatem, dum ab hereticis tenebatur, viris doctis caruisse scripserunt. Ego certè, qui scripta Bohemorum latina omnia habere & legere conatus sum, aliud comperio: vide quæ scripsi in libro, cui titulum facio Notitia veteris Bohemiæ, in Capite Docti Viri Bohemiæ. In eo plures centum nominavi Scriptores non contemnendos, qui aut versibus candidis & venustis, aut Historicâ, Medicâ, Mathematicâ, aliâve è scientiis partâ gloriâ, nomen suum illustrârunt. Vltimus propè ex Magistris illis Joannes Campanus, quàm vinulis, quàm delicatis, quàm castis versiculis & numeris Psalmos Davidicos expressit! malo unum ejus Psalmum, quàm centum Buchananam, quem tamen apud Anglos, & Gallos laudari ferunt. Provoco ad lectorem incorruptum, nisi mecum sentiat, nullius me judicij cateri dicant. Sed mira Campano à Deo felicitas, quem morientem R. P. Simeon Sidecius è S. I. adiit, & ad fidem Catholicam brevissimâ, sed nervosâ oratione adduxit, confessus peccata, SS. Eucharistiâ refectus, obiit integris sensibus, atate confectus, id unum dolens, quòd tam diu quæ vera foret Ecclesiâ, ignorâisset. Porrò Vniuersitatis Carolinae interitum, ut putabat, sat nitidis Elegijs dessevis Drežda, post Pragensem Victoriâ, exul Martinus.

Studioforum olim multitudo in Vniuersitate Carolina; multi ex ea viri docti prodierunt.

Campani laus, & in morte felicitas.

Ministerium Arnesti breviter adumbratum; id est, quæ potissimum imperandi Præcepta, Carolo insinuârit Arnestus, quæque de ejus consilio gesserit Imperator.

CA-



## CAPUT X.

**R**egnare artem unam omnium maximam esse docuerunt sapientes, meritoque mirabatur *Sylvius*, cum ceteras artes nemo ferè nisi qui didicerit, profiteatur, ad gubernandum quemlibet, nihil dubitantem, velut instructissimum, & ad id natum, sine omni literarum, curarum & consiliorum præsidio, accedere, & parem se tantis rebus gerendis putare. Magnâ sapientiâ opus est in regendis tot populorum voluntatibus, ut non modò subsint, sed etiam subesse velint; quæ res inobservata plurima Regna dedit in præceptis. *Arnestus Noster*, cum primum ad *Principis* animum admitti se, ultròque in Imperij arcana duci vidit, mirâ dexteritate, summâ item adversus Regem, in quo divinitatis spirantem intuebatur imaginem, reverentiâ, erudire ejus curas, & cum dulci quadam probitate, summâ item consiliorum lætitiâ, & cautâ fiduciâ pertractare sensus intimos cœpit, & hæc præcipuè in consilij omnibus jubebat respicere, ac tueri. Summum in primis *DEI* timorem atque amorem, velut vexillum quoddam, in animo *Principis* altè defixit. Hoc unum erat in publicis, quas aliquando ad *Imperatorem* habebat, Concionibus argumentum, hæc sermonum perpetua, & nunquam exhausta materia: *Reges bonos à DEO defendi; malos pœnis involvi; Regna à DEO dari, & auferri; Reges adversis probari*, aliâque his consimilia. Hunc divini Numinis timorem, *Carolus* ipse vitæ suæ initio, *filijs suis sedentibus secundis in thronis*, ut loquitur, velut regnandi principium potentissimè commendat. *DEI* timore insito, facile *Orationis amorem* ab animo *Principis* impetravit, ut nihil eâ virtute dulcius, nihil amabilius esse crederet, eâque oblectari quotidie, & pasci vellet. Servit oratio non modò ad auxilium pro Imperio à DEO advocandum, sed ad componendos & definiendos in rebus æquè latis ac turbidis *Principis* affectus, & ad æquitatem animi comparandam. Itaque *Carolus*, etsi à pueritia

*Vapiscu in Vita Domitiani. Sylvius l. 2. in Notis ad Vitam Alfonsi Magni Scriptore Paternitano. N. 50.*

Gubernatio est Ars artium.

I.  
Timor DEI fundamenta bonæ Gubernationis.

*Carolus Imp. in Vita sua inst.*

II.  
Oratio ad DEUM Principi prodest.

*Carolus IV. ibidem.*



ritia Preces ad *DEI Matris* honorem, quas officium parvum dicimus, ex Institutione *Ioannis de Cara* pijssimi Sacerdotis in Gallia quotidie persolveret, postea tamen, *Arnesto* probante, majus etiam sacerdotale illud officium adjunxit. Incredibilis certè, ut hoc obiter dicam, à puero *Caroli* in Divam Virginem amor eluxit, *Arnesto*, qui, ut sæculi nostri verbis utar, *Maria creatura* fuit, incitante multis maximisq; documentis probatus, ut *Templa* ejus honori condita sileam, quantum illud est, quod *Rebdorffius* eorum temporum scriptor commemorat! Post hac, inquit, *Carolus Imperator* disponit visitare limina *B. Virginis Aquisgrani*: sed deliberat mittere offertorium illuc pro filio suo nato *Norinberga Wenceslao*, unde jubet filium ponderari in statera cum auro, qui ponderavit sexdecim marchas auri, quas mittit *Aquisgranum*, & ipse cum uxore & filio, & insignibus Imperij Cimelys in *Bohemia* est reversus. Sed nos ad alia *Arnesti* monita *Carolo* imperanti data, faciamus gradum.

*Regibus primam Religionem esse oportere* sæpe repetebat *Arnestus*, neque frustra *Regum Iuda* lectulum, uno tantum ab Altari Domini pariete fuisse divisum; *Imperatores Christianos* medios esse *Sacerdotes*, quod vel ex Evangelij lectione, quam in Ecclesia legere sint soliti, probetur, communem cum Sacerdotibus Religionem habere, ideòque *Ecclesia Protectores* appellari: doctrinam hanc securus bonus Discipulus, quanta non religionis amore incitatus confecit! Multas, ait *Trithemius*, in *Bohemia Carolus Imperator* de novo toto fundavit Ecclesias, fundarásq; tam à se, quam ab antecessoribus suis, reliquijs, ornatibus, picturis, clenodijs, & varijs donationibus magnificè honoravit. Infinitum esset exemplis approbare singula: ex una *Pragensi Ecclesia* capere conjecturam licet, quam maximis impensis excitavit, quam tantis opibus auxit, ut centum aureorum millia *Archiepiscopus* quotannis perciperet, quam amabiles literæ, quoties de *Ecclesia Pragensi* loquitur Imperator, quam Matrem suam appellat, vide! quæ adducentur in Notis. De Cœnobijs, de Collegiatis Ecclesijs, de Templis honori Sanctorum, ac præcipuè *Deipara Virginis*, ac *S. Catharina* dicatis, nihil commemorabo: quibus decretis confixi hæretici sint, habemus in mani-

Amor Caroli  
in DEI Ma-  
trem.

Rebdorffius in  
Annal. 1361.

Pietas Caro-  
li.

III.

Glossa in C. 38.  
Isaia. 6. 2.  
Reg. 9.

Trithem. in  
Hirsingensi,  
A. 1360.

Serav. in Mo-  
gunt. l. 5. in  
Gerlaco.

R. P. Albertus  
Chanovusian  
Vestigio Boh.  
Taulus Zidek  
in M. S.

Pentan. in Boh.  
Pia.

Silv. C. 33.  
hist. Boh.

Hageh. A. 1576.



Æstimatio  
summa sacra-  
rum Reliqui-  
arum in Ca-  
rolo.

Hagk A. 1349.  
& 1354.

Lupac. in Cal.  
hifor.

Trithem. in  
Hirfanguenfi  
A. 1360.

Lupac. in Vita  
Caroli IV.

Nota.

IV.  
Pontificum  
authoritatem  
Carolus fem-  
per defendit.

Dubrav. Episc.  
Olomuc. l. 22.  
hif. Bohem.

Memorable  
facinus Ca-  
roli pro Pon-  
tificum au-  
thoritate e-  
dicum.

bus; hæc omnia sine dubio in *Caroli IV.* vita, quæ jam paratur, ex ordine diligenter tradentur.

Ad eandem virtutem referri potest Sanctorum Corporum summa in *Carolo Cæsare* veneratio, quam excitavit *Arnestus*; toto orbe Christiano quæsita in Bohemiam ferebantur; *Arnesti Frater Bohuslaus*, seu *Bohusius* præcipuam laudem apud Cæsarem tulit, *S. Viro* à Ticinensibus impetrato. Extat in vetustissimis membranis edita id temporis in publicum, *Arnesti Archiepiscopi Epistola de cultu sanctarum Reliquiarum*; quâ commotus *Carolus* (omniam enim ab *Arnesto* ut oracula accipiebat) *Festum sanctarum Reliquiarum* per ipsum Archiepiscopum, & Papam instituit; quo die *Imperator* nudo capite, nudo pede, ab *Arce S. Wenceslai* ad eas venerandas descendit, & usque ad *Corporis Christi Templum*, quo nunc *Praga Societas IESU* utitur, ad *Novam Civitatem* (tanto locorum intervallo!) per forum, & plateas omnes processit. DEO studium hoc *Caroli* placuisse, quædam simillima miraculis ostenderunt; de his plura C. 13. & in Notis quæ ad illud adferentur.

Qui Ecclesiam amat, proximum est, ut ejus Hierarchiam, & aspectabile Caput Pontifices Romanos amet, & veneretur. Hanc etiam virtutem ab *Arnesto* Pontificum Romanorum observantissimo, & ab ijs vicissim amato, *Carolus* didicerat, ac sanè, si quis Imperatorum, dignitatem, potestatemque suam (quod male tentarunt quidam) super Pontifices statuere, tum certe *Carolus* potuit, si in alium Cæsarem, & Ministrum ea tempora incidissent, flagitium immane perpetratum foret. Offerebant ultrò *Urbem* suam *Romani*, & hæreditatem Augustorum esse dicebant. Acciperet proinde deditam *Urbem*, turpe esse *Romanorum Imperatori Romæ non imperare*. *Carolus Arnesti* consilio, rem magnam agi, deliberaturum se, & circumspectis omnibus securitatem negotio se additurum respondit; mox per speciem venationis urbe *Romæ* egressus ad castra Bohemorum tendit, acieque protinus *Urbi* admotâ, evocato senatu, omnia se ferro flammâque deleturum, nisi Pontifici obedientiam jurent, & consilia in vestigio retractent, minatur. Misisse etiam ipsos *Novatores*, qui adversus Ecclesiam sen-  
serant,



ferant, *Avenionem* judicandos, tradit *Pius Pontifex*. Sed ante id *Nicolaus Tribunus Romanorum*, qui populum Romanum adversus Pontifices concitârat, *Pragam* veniens, ab *Arnesto* convictus erroris, *Avenionem* missus est, adeoque duorum Pontificum *Innocentij VI. & Urbani V.* autoritas asserta, *Carolo Casari*, & per eum *Arnesto* debetur. Maxima certè *Caroli* in Ecclesiam merita *Raynaldus* Annalium Ecclesiasticorum post *Baronium* nobilissimus Scriptor toties deprædicat, ut omnem ei paginam *Cesar Carolus* fecisse videatur. Inter alia narrat, *Carolo* potissimum authore factum, ut *Pontifex Urbanus Avenione* relicta (quod universus Christianus orbis pridem optârat) *Romæ* sese restitueret, *Romam*, Sedem transferret; jam verò cum Pontificis autoritas ob *Vice Comitem Mediolanensem* *Romæ* laboraret, collecto exercitu *Carolus* in *Italiam* descendit, ac Sedis Apostolicæ vires firmavit. Quanquam postea A. 1370. ad repetendas Gallias idem Pontifex pessimis consilijs, ut loquitur, & deplorat *Raynaldus*, sit inductus.

Sylvius in hist. Boh. C. 33.

Tom. XVI. Annal. Eccles.

## Notæ in Caput X.

**R**egnare artem difficillimam. Vide *Caussin. L. 1. Aula S. Ratione 7. Probat. id Synesius L. de Regno ad Arcadium, & Stobæus serm. 47. ubi etiam refert Antigoni verba ad vetulam, qua eum ut felicissimum salutârat.*

In Imperij arcana duci. Vni Ministro cuncta committi non debere probavit *Scipio Ammiratus Politicorum Princeps L. 15. Politic. Discursu. 1. debet tamen habere aliquos magis intimos & unum etiam quem reveretur. Idem. L. 14. Disc. 1. Talis ob sanctitatem, scientiam, dignitatem, & autoritatem Arnestus. Sic Carolus V. Imperator uno ferè Cardinale Granvellano utebatur, ut Augustus Meccenate. Vide Typotium L. 1. de Hierogr. C. 129. qui conditiones eorum Ministeriorum expendit.*

Reverentia erga aliquem Principi necessaria.

Regibus primam Religionem esse oportere.

Religio vinculum Regis & subditorum.

V 2

Id



Ad probavit omnium optimè Carolus Scribanus S. J. in Christiano-Politicis; vide etiam Justum Lipsium in Politicis: Strada id sepe inculcat. Dec. 1. L. 2. de Belgij rebellionem, & L. 5. in verbis Margaritæ Austriacæ ad Comitem Egmontium. Exempla pulcherrima habes in libro antiquo Lupoldi Bebenburgij, Episcopi Bambergensis, cui titulus: de zelo veterum Principum Germaniæ.

**Decretis confixi hæretici.** Recitat decretum illud Caroli Cæsaris Hagecius, quo hereticos omnes in Bohemia flammis publicè jubet exuri.

**Festum Reliquiarum.** Celebratur die Veneris post octavam Paschæ (Hagek Anno 1349.) tanta eo die hominum ex vicinis regionibus consuebat multitudo, ut Panis Pragæ deesset. A. 1388. centum peregrinorum millia die uno Pragæ fuere numerata.

**DEO studium hoc placuisse.** De S. Nicolai *En ejus vita.* digito sanguinem stillante, dicam postea. S. Agnes de Monte Politiano Carolum Cæsarem sepulchrum ejus visitantem aperis subito oculis blandè intuita est, & quasi salutaret, arrisit.

## Nova ab eodem VENERABILI Arnesto consilia Carolo imperan- ti data.

### CAPUT XI.

**M**irabuntur fortasse Lectores, cur in *Arnesti* vita de *Carolo Cæsare* multa narrentur; facilis enim verò defensio: utriusque gesta permixta sunt; Carolus ipse quantus est, *Arnesti* opus est; qui *Carolus* hîc omitteret, gemmam ex *Corona Arnesti* pulcherrimam ac pretiosissimam, aut potius ipsam



ipsam Coronam ex Arnesti capite detraheret. Reliqua igitur, partâ jam securitate, & impetratâ à legentibus veniâ, prosequamur. *Iustitiam* non modò ipse coluit *Arnestus* (quo nomine graves inimicitias Procerum suscipere non recusavit) sed etiam persuaserat *Casari*, remotâ *iustitiâ*, ut agebat Augustiaus, *Regna nihil esse nisi magna larrocinia*. Nota est *Caroli* sententia in *Zahoram* Nobilem, qui Sacerdotem excæcârat; notum *Caroli* apud *Philippum Bergomatem* elogium: *Carolus justus, rectus, timens DEVM, bonos diligens, malos & sceleratos odio habens, &c.* Adibat, *Arnesto* moriente, ipse *Carolus* Tribunalia Prætorum, accusationes Pauperum adversus Dominos adjuvabat, nec sententiam sinebat differri (quod aliquando *iustitiæ* pars est) sapissimè excitato in Arcis Pragensis portâ Tribunali, miserorum querelas audiebat, nemine, nè ancilulâ quidem, quæ jus sibi reddi peteret, contemptâ. Accidebat aliquando, ut ab hora duodecima ad usque solis occasum eodem in loco, aut foro jejunos *Casari* persisteret. Unicum erat innocentibus ipse *Casari* præsidium, qui brevi sententiâ cum Jurisconsultis, quos divini, & humani Juris scientissimos habebat ad latus, causam annis pluribus antè tractam, finiebat; aderant, qui exciperent judicata, & qui exequerentur. Hinc illa nobilis exclamatio Veteris Scriptoris: *Temporibus Arnesti surgere cepit Iustitia, &c.* Non sinebat *Carolus Arnestus*, alienæ fidei credere, alienis oculis videre, alienis auribus audire, multùmque id, ad *Iustitiam* & clementiam Imperij pertinere dicebat; admovebat negotijs, affirmabâtque Imperatorium esse, multa per se ipsum agere, suâ manu quædam scribere, arcana habere, Proceres alloqui, prorogari sententias, & cum dignitate etiam comitiâ regere, & moderari. Quis enumeret, quoties Italiam, Galliam, ac præcipuè Germaniam *Carolus* adierit? ubique bella & discordias Principum recipiebat & sedabat. *Bohemiâ* verò omnem, oppidâque ac Civitates sæpius percurrit, atque in ijs beneficentiæ & liberalitatis ubique reliquit vestigia.

Author *Casari* quoque *Arnestus* fuisse dicitur sapientissimi Consilij, ut quotannis *Carolus* in solitudinē Arcis alicujus procul

## V.

*Iustitiæ amor*  
in *Carolo* ab  
*Arnesto* in-  
stillatus.

M. S. Vita  
*Arnesti*.

August. l. 4.  
de Civit. DEI.

Dubrav. l. 22.  
hist. Bohem.

Philipp. Ber-  
gomæ ad An.  
Christi 1347.

Hagk. A. 1371.

Dubr. l. (1).

M. S. Vita.

## VI.

*Carolus Ar-  
nesti* consilio  
multa agebat  
per seipsum.

Dubr. l. 11.  
Hagk. A. 1364.  
& 1363.

## VII.

Secretum  
Principibus  
interdum nec-  
cessarium.



Amor erudi-  
torum.

## VIII.

Dubra. l. cit.  
An. Sylv. in  
hist. Boh. C. 83.  
Hagek A. 1343.  
Iovius in Vita  
Bartoli.  
Cuthen. in. C.  
33. Sylvij.

Hagek A. 1370.

## IX.

Carolus sub-  
ditorum amo-  
rem lucrari  
omni ope  
studebat.

De morum sua-  
ritate in Caro-  
lo IV. vide Reb-  
dorff. in An-  
nal. 1333.

Hagek A. 1344.

Dubrav. l. 22.  
hist. Bohem.

negotij abditus, DEO se, & Divinis rebus silentio vindicaret; fiebat id *Carlsteinij*, cum *Arnestus* eo ipso in loco, aut in Arce *Przibravenfis*, idem consilium secutus, *Beatissima Virgini*, ut dicere solebat, *serviret*. Ita & conscientia in praeteritum, & regnorum, Aulae ac Procerum erroribus annotandis in futurum, consultebatur. Amorem Eruditorum tam altè *Arnestus* animo Principis impressit, ut sapientissimis eorum sermonibus fatiari non posse videretur. Authore *Arnesto*, ut antè dixi, condita *Pragae Academia* est; *Bartolus de Saxo Ferrato* Jurisconsultus suâ aetate clarissimus advocatus, qui Leges Bohemiae veteres quasdam abolevit, alias aptavit in usum, totam denique ordinavit Justitiam. Hinc *Arnesti Archiepiscopi* tempore nullum pinguius Sacerdotium (Præbendam ipsi vocabant) nulla item Ecclesiastici honoris prærogativa, nisi eruditissimis conferebatur; quod postea *Cæsar Carolus* decreto sanxit, nè quis sine Academico gradu (præcipuè ad *Collegium Omnium Sanctorum* in Arce Pragensi) adlegi posset. Dedit etiam honori *Arnesti Carolus*, ut soli ex omnibus *Canonici Regulares S. Augustini*, quos ille amabat, *Pragae Scholas* altiores extra Universitatem in Monte S. Apollinaris haberent, in quibus nobiliora ingenia educarent.

Illud verò omnibus in dictis, & factis Imperatorem jubebat respicere, ut sibi *subditorum omnium acquireret amorem*; firmissimum esse Imperium, quod benevolentia, & charitate Civium muniat. Neque id à Principe fingi debere, sed revera ita comparatum esse, ut *Regnum suam domum* esse arbitretur. Periculosum & *Tiberianum Imperium*, suspicionibus atrox, accusationibus infestum, luto & sanguine maceratum esse, cum se Princeps à Republica dividit, neque se caput & partem meminit, sed eam velut alienum à se corpus movet, & gubernat. Approbavit dum amorem in Republicam *Carolus*, multis magnisque in populos beneficijs, ac præcipuè *Regnum* in quo natus erat, auxit, *dég. ejus com- modis*, ut ait Hagecius, cum *Arnesto sapius loquebatur*. *Danubium* in *Muldavam* deducturus erat, nisi multis precibus obstitissent vicini; *Merces omnes Venetas, Hamburgenses, Lubecenses, Norim- bergen-*



*bergenses, &c. Praga* primùm deponi, tum per alias oras dividi iussit. *Monctam* purissimam cudi, subjectorum populorum paupertatem vacatione munerum, & quorundam tributorum sublevari. Vias latrocinij infestas purgari iussit, neque postremum, quod dixi, *Carolus* missis Ducibus egit, sed ipse per *Bohemiam, Moraviam, ac Silesiam* arma circumferens, plurimas arces munitissimas, in quas se latrunculi recipere solebant ( quarum in vita sua enumerat nomina ) cepit, implacabiliter prædonibus iratus, quos in vestibulo captarum arcium, in furcas agi jubebat. Huic malo in posterum ut obviaretur, *Bohemiam* regionatim divisam, ( duobus, cuique districtui, Præfectis attributis ) tutandam, & à prædonibus potissimùm purgandam, minoribus item causis Nobilium, ac Civitatum cognoscendis, commisit. At cives facillimum, & benevolum Principem adire quoties luberet, sinebantur. Ipse *Cæsar* dum *Praga* conderetur, operis adstare, alloqui, recreare sermonibus, ad privatos etiam suâ manu Epistolas mittere. Gloriatur hodièque Urbs *Wratislavia*, litteris *Caroli* manuscriptis, quibus nihil invidiosum continetur, appellat benignè, quærit ut Cives valeant, eos se amare, & cupere bene illis esse, commodè vivere, opibusque florere. Privatorum etiam domos subijisse *Carolum* constat, narratque *Aneas Sylvius*, cum apud *Pragensem Civem* pranderet, inter bellaria Civem illum syngrapham centum millium aureorum, quos mutuos antè Imperator acceperat, lacerasse coram Cæsare, ac laceratam in aurea lance obtulisse cum dicto: *Mensam omnibus convivis fuisse communem, hanc lancem ex bellarijs, uni a se Cæsari servatam.* *Oeconomiam* privatorum *Cæsar* diligenter inspicere solitus, cum iter per *Bohemiam* faceret, deduci se à Dominis locorum volebat; peritusque œconomix habebatur, monebat ipse Dominos: hinc opportunè silvis purgatis piscinas posse statui; hinc ovilia alenda; hinc lupuleta fodienda; hinc pastinandas vineas, aliæque hujusmodi: cumque ditio regia *Mielnicensis* vineis opportuna videretur, ab ipsa *Gallia* surculos melle conditos iussit adferri, & propagari. Hinc illa rubri *Vini Mielnicensis* gloria; quam originem vinearum non alibi lectam, nec

fando

*Cuthanus in C.*  
33. *En. Sylv.*  
*Dubr. l. cit.*

*Hagek passim*  
*in Annalibus*  
Subditorum  
felicitas &  
securitas *Ca-*  
*rolo* proposi-  
ta.

*Carolus Imp.*  
*in Vita, sua in*  
*editione Freche-*  
*ri Hanoviae*  
f. 95.

*Dubr. l. cit.*

*Dubrav. l. 22.*

*Hagek A. 1369.*

*Schickfus in*  
*Annalib. Siles.*  
l. 1. C. 30.

Munus Rege  
dignum à ci-  
ve *Pragensi.*

*En. Sylvius*  
*in Comment.*  
*super dicta Al-*  
*fonsi M. Regis*  
*Arragonum à*  
*Tanormitans*  
*edita l. 4. n. 42.*

X.  
*Cæsar* *Oeco-*  
*nomix* *studi-*  
*osus.*



fando auditam, in veteri quodam Codice, puer olim legi, & annotavi.

## Notæ in Caput XI.

Quæ propria  
Regum vir-  
tus.

**I**ustitiam Cæsari, &c. Diligite Iustitiam, qui iudicatis terram, ait Spiritus Sapiencia Sanctus. Hæc virtute gloriari semper boni Reges solent, ob eamq; causam heroica optimorum Principum symbola plerumq; hujus Virtutis propositum, & amorem ostendunt, ut ex Typotio & Anselmo de Boot (Tomo I. II. & III. symbolorum) cuilibet datur intelligi. Lege Politica Cl. Viri I. Lipsij, Traianum Plinij, & omnes qui de Regno, & Principe scripserunt, maximè Melchiorum Piccartum in Historiopoliticis P. 2. Decade 8. totis primis septem Capitibus de Iustitiæ in Regibus amore.

### Non sinebat Carolum alienis oculis videre.

Malorum Au-  
torum ar-  
tes,

Huc spectat nobile illud, & penè unicum Diocletiani dictum, quod refert Vopiscus (in Diocletiano) hisce verbis: Nihil est difficilius quàm bene imperare. Colligunt se quatuor, aut quinque atque unum consilium ad capiendum Imperatorem capiunt; dicunt, quid probandum sit; Imperator qui domi clausus est, vera non novit: cogitur hoc tantùm scire, quod illi loquuntur. Facit Iudices, quos non oportet; amovet à Republica, quos deberet obtinere. Quid multa? bonus, cautus, optimus venditur Imperator. Hæc Imperator Diocletianus, sine dubio ejusmodi Ministros ex-

Organum Pseu-  
dohistoricorum.

pertus. Descripsit malos Regum ministros ignotus Author, eorumq; placita, sub magni organi musici Imagine, in quo hosce Indices fistularum, seu mutationes (Registra Organopæi vocant) ponit: Deglubere. Metuant. Oportet habere. Altum dominium. Hunc audite. Sic placet. Sanguinis dosis. Adigantur. Non audent. Non capiunt. Una Cervix. Vos non vobis. Compelle. Ipsi viderint. Interesse. Aurum è stercore. Amicitia. Histrionum fortuna. Summum jus. Dissidiorum semina. Vexare columbas. Princeps non habet legem. Ad terram. Reus Majestatis. Exaggeratio. Licitum







nascuntur (Pacatus in Panegyri. ad Theodof.) ita bono Principi de-  
 nescia. Seneca lib. de Const. sapi. C. 8. Principes Fortunæ manus  
 vocat; quam missilia in homines jacentem elegantissimè, non tam de-  
 scripsit, quam depinxit idem Seneca 10. Epist. 74. Notabile dictum est  
 Ethnici Scriptoris Plutarchi (L. 7. symposiacion. q. 4.) quo an illustrius  
 quidquam unquam protulerit, nescio, ut liberalitatem non Regibus tan-  
 rum, sed omnibus hominibus coram faciat. Nam causam querens,  
 cur Romani nusquam mensam inanem post cœnam relinquerent, neq;  
 lucernam, nisi spontè suâ, exstinguerent? respondet, id fieri ob benefi-  
 centiam, ut alij etiam utantur: sed memorabilem subjecit sententiam:  
 quippe, ait, si fieri posset, etiam visum atque auditum, imò pru-  
 dentiam quoque, & fortitudinem alijs utendam dare deberemus  
 ipsi dormituri, atque quieturi. Dictum Christiano homine dignum!  
 De hac verò Caroli IV. liberalitate multa scripsit Dubravius L. 22.  
 aitq;, eum solitum subditos provocare ad petendum, & accipiendum.

Nota elegans  
 dictum.

Solitudo  
 Principū vi-  
 tia emendat.

### Quotannis in solitudinem procul negotijs,

Suadent id maximi Politici, ut Princeps minimum semel in anno,  
 quiete ceteris negotijs indictâ, solitudinis quandam sibi speciem repræ-  
 sentet, solusq; suas, Aula, & Universi Regni rationes e proximo inspi-  
 ciat, expendat, & componat. Magnas ex hoc considerationis exercitio  
 consequetur utilitates; sed neq; tum alium audiat, quam se ipsum. At  
 Carolus cum Arnesto suo in illa solitudine conscientiam examinabat,  
 & virtutum accepta, & expensa referebat in numerum. Hoc soli-  
 tudinis consilium probavit etiam D. Ambros. L. 3. de Officijs toto C. 1.  
 ostenditq; id fieri Moylis Ducis Israëlitarū exemplo, qui quadraginta  
 diebus fuit solus in monte; tum addit: In corde deambulandum  
 est Regibus: David Propheta docuit nos tanquam in ampla domo  
 deambulare in corde nostro, & versari cum eo tanquam cum bo-  
 no contubernali, ut ipse sibi diceret, & loqueretur secum. Exu-  
 endus est aliquando privatim, regius ille Majestatis vultus, ut sol O-  
 vidianus circum caput omne micantes deposuit radios: deponenda  
 ala, ut fecit Dædalus

Sat. 3.

Proponimus illuc  
 Ire fatigatas ubi Dædalus exiit alas,

ait



ait Iuvenalis, id est, Cumas: nam Apollini Cumano alas in templo Dædalus anathema suspendit. Recens quidam Politicus, ait id à Principibus fieri, ut intentius iram meditentur, & animi secretos motus exerceant, ut fecit Tiberius Imperator. ô dictum improbum!

A. S.

**Bartolus de Saxo Ferrato.** Bartolus Regni Bohemie Constitutiones in ordinem redegit; at Victorinus Cornelius à Wsfehrd & M. Briccius à Liczko, & M. Paulus Christianus ediderunt Jus municipale; ut restatur Martinus Bachacius Rector Carolinae Universitatis, in Programmatibus apud Giczinsky. Mortuus vero est Bartolus Perusij A. 1359. ut Papirius Massonus, & ex eo Lupacius in historico Calendario annotavit.

Bartolus Regni Constit. scripsit.

**Firmissimū esse Imperium, quod benevolentia &c.** Id probat Synesius libro toties laudato de Regno ad Arcadium, & Princeps bonorum Politicorum Scipio Ammiratus L. 15. toto discurs. 7. & L. 17. disc. 4. & 5. & Seneca toto L. 1. de Clementia, maxime C. 1. quid debeat Princeps cogitare ad comparandam Clementiam: Ego ex omnibus mortalibus, &c. Clypeus ex cordibus penetrari non potest: Silvester Petra sancta L. 6. symbol. C. 12. Typotius Tomo 2. symbol. in Clivensibus. symbol. 52. & in Hierogr. L. 1. N. 123. & 124. de Rege Apum Seneca loc. cit. de hoc Civium amore multa Plin. in suo Traiano. Hic est Character perpetuus bonorum Principum & naturalium, qui natura ad regimen facti, quales omnes qui in Europa. De ea re prudentissima sunt documenta Hippoliti Cardinalis Estens apud Muret. var. lect. L. 16. C. 4. Apum Rex castra sua habet in favo mellis, Ambros. in Hexam. Cor Regis amplexu latum esse debet, quale Salomonis, sicut arena quæ est in littore maris; unde etiam ad regendum aptiores sunt, qui caelo nati sunt. mitiore, ut notavit Seneca L. 2. de Ira C. 16.

De Comitatu Caroli IV. Dubrav. l. 22. hist. Bohem. Clementia Principum virtus.

**Tiberij Imperium.** Tacitus Scriptor in hoc argumento divinus, illud diligenter primis Anualium Libris explicuit. Uti nam præclari alicujus Principis Imperium stylo complecti voluisset! sub Traiano vixit, sed Traianum non scripsit. Docet igitur quid vitandum.

Alia cavenda Principibus, alia tenenda.

X. 2.

tandum.



tandum Principibus sit, quid tenendum non item; quod si ostendisset, Ideam optimi Principis effectam & expressam sapientissimo scribendi genere haberemus.

Magnifica  
opera Princi-  
pes decent.

**Danubium in Muldavam.** Id opus prorsus Regium à Carolo IV. tentatum est missis libratoribus, qui locum idoneum per libellam invenerunt; apparent etiamnum tanti conatus vestigia. *Dubrav. L. 22. Ita quondam apud Tacit. L. 13. Annalium, Lucius Vetus Mosellam atq; Ararim, facta inter utrumq; fossa, parabat connectere, ut copia per mare, deinde Rhodano & Arare subve-  
cta per eam fossam, mox fluvio Mosellâ in Rhenum, exin Oceanum decurrerent, sublatisq; itinerum difficultatibus, navigabilia inter se Occidentis Septentrionisq; littora fierent. Exclamat hic Lipsius: DEUS bone! utile, magnum, Regium, & Romanum planè opus! Sic Carolus Magnus Danubium & Rhenum conjungere statuit, alij alia: sed omnes statuerunt tantùm, & nescio quæ vis ab alto ferè impedit, mutari hæc per naturam statuta. Quantum verò toti Germania, maximè inferiori, commodum id foret, consideret lector in Geometricis curiosus.*

Moneta Iu-  
stitiæ signum

**Monetam purissimam.** Præcipuum signum Iustitiæ, & bona in Regno administrationis est Moneta. Ita sentiunt omnes, qui de Regno scripserunt; vide Scipionem Ammiratum L. 3. in Tacit. discursu. 8. Scribanum, Conzen, Menochium Nostros in Politicis.

**Tributa:** notum illud Tiberij: Tondere, non deglubere. Dio Cassius L. 57. hist. Rom. si profana sacris miscere licet: dum flet Ecclesia, & pauperes tristantur, Christus callacrymatur. *Ambros. L. 1. de Pœnit. C. 8. Atrum putandum est aurum, quod è lacrymis oritur, ait Apollon. ad Vespasianum. Philostr. L. 5. C. 13.*

Quid potissimum Reges secuti sint in Partitione Bohemiz.

**Bohemiam regionatim divisam.** Hac de re ita Crato Maximiliani II. Medicus: Duodecim regionum singulis præsent in Bohemia Capitanei, Baro unus, alter ex Ordine Equestri, qui lites minores cognoscunt inter subditos diversorum dominiorum.



miniorum. 2. si qui emergant latrones, licet ijs convocare vicinam, sibi que subjectam Nobilitatem ad grassatores comprehendendos. 3. Bello fortuito incumbente, quilibet ad suum se recipit praefectum. Sola Reginohradecensis regio, quia dos Reginae, Burggravium habet ob eam amplitudinem. *Hac ille. Vide plura apud Stransky. Sed plures fuere districtus, & sunt hodie. Cur autem inaequalitas tanta in districtibus, ut apparet, in Wltaviensi, alijsq; an id Carolus ignoravit? Non cadit in tantum Regem negligentia. Tam dixi, Capitaneos ob latrocinia impedienda institutos, unde in minimis illis districtibus magnus erat futurus labor; verbi gratia in Wltaviensi ob silvas, & aquas, &c. ob eandem causam in Podbrscensi, &c. Berauna enim unde appellata sit, habes in Stransky.*

### Adire Regem, quoties lubebat, sinebatur.

Reges felicissimi, idem spectabilissimi fuere; qui Regna perdidere, latebras amarunt. Constatq; id exemplis innumeris. Rudolphus I. Caesar, cum Aulici aditus quosdam Pauperes prohiberent, audiens, & indignans: Per DEUM, inquit, finite homines ad me venire! Non enim ideo Imperator sum, ut in arcula claudar! *I. Lipsius in dissert. ad Albertum & Isabellam. Hac felicitate Alfonso Magnus Campaniam sibi adunxit, cum Asinum cujusdam rustici in fossam prolapsum, Equo descendens, elevavit. Quo audito, ei se plurimi populi subiecere, quod de Asino testis oculatus narrat Panormitanus L. 1. de Vita Alphonsi. N. 25. Est quoddam instrumentum, quod artificiosè demittendo sese aquam è puteo extrahit, vocaturq; cochlea Archimedis, & est aliud instrumentum, quod è corde hominum trahit amorem, & hoc vocatur affabilitas, & humanitas.*

Spectabilitas  
Principi ne-  
cessaria.

Alfonsi Ma-  
gni memora-  
bile, & faeli-  
cissimum fa-  
cinus.

### Carolus Caesar apud Pragensem Civem.

pranderet. *Narrat simillimam historiam de mercatore Cra-*

coviensi, nomine Wernico, Schickfusius (Poloni scriptores vocant Werincum) sed ego plus nimirum credo Aeneae Sylvio vi. ino tempo-  
ribus illis, cui optime nota Bohemorum historia fuit, putòq; id imita-  
tum esse Verincum; nam Pragensis Civis syngrapham dedit, Verin-  
cus Regi suo dona tantum obtulit, aestimata centum florenorū millibus,

Civis Pra-  
gensis Regi  
suo grande  
munus offert

Cymerus hist.  
Polon. l. 12.  
Msechov. hist.  
Polon.  
Decius nihil  
habet.



dimidio minore pretio, quam sint floreni nostrates; ut taceam aureos; nam unus aureus sex Polonicos florenos pretio aequat; Miechovius itidem dona hospitibus, & Regi data nominavit; unde alia nostra historia est, alia Cracoviensis, utraq; vera.

*Mylus in hor-  
to Philosophico  
tit, Viti.*

*Vites quan-  
do in Ger-  
maniam illa-  
tae.*

Ditio Mielnicensis Vineis opportuna, vites ab ipsa Gallia, &c. Nihil hic novi narratur. Tardè in Germaniam vites allatas docent Scriptores, primùmq; à Romanis colonijs plantatas circa Rhenum sub Imperio Domitiani. Sic olim quaedam stirpes in patrio solo noxia, in Europam translatae, feliciter & late proveniunt, ut Persica ex Persia, Cerasa ex Cerasunte, Cydonia ex Cydone, Damascena pruna è Damasco, &c. & apud nos Misica poma meliora nativis. Balsami arbusculam (quia alibi putabatur non velle crescere) in triumpho tulit, ut hostem, Vespasianus. *Plin. 12. hist. Nat. C. 25.*

Plura VENERABILIS Arnesti documenta & ductus, quibus Carolus IV. Imperator usus, felicissimos Principes acquavit; & de felicitàte Regnorum eo imperante.

## CAPUT XII.

*XI.  
Rovk, Hagok,  
Dobr. Schischf.  
Conjugia  
Principum  
magnâ egent  
deliberatio-  
ne.*

**T**anta verò Arnesto in Carolum IV. inerat autoritas, ut Regina ex ejus ferè unius consilio peterentur. Quater Carolus Imperator Conjugio se illigavit, semperque Arnestus in hisce conjugijs utilitatem Ecclesiae, aut Regnorum pacem, dignitatem & comoda spectavit. Conjugia magno-

*rum.*



rum Principum, sæpe Regnis salutem, sæpe interitum & imbecillitatem adferunt, neque est ulla tanta stirpis alicujus proceritas, & firmitas, quæ scæderibus, seu fulcris, amicitijs, & præcipuè affinitatibus & cognationibus non egeat. *Blanca prima Caroli Conjug* ante *Arnestum* data est; in ea capienda *Gallica Caroli Principis* educatio, & avita sanguinis *Luxemburgici* conjunctio honorabatur. In altera conjugè, *Anna Palatini Electoris* filia, Imperij firmitudo, & aucta ditionibus plurimis *Bohemia* quarebatur. *Tertia Anna Suidnicensem & Jauroviensem Principatum Bohemia* Regno attulit. *Quarta Elisabeth Casimiri Polonia Regis neptis* bella inter *Carolam*, & *Vngaros ac Polonos* oriencia sedavit; ad quod Conjugium conciliandum plurimum Legatum Apostolicum & *Arnestum* contulisse, indicat *Schickfus*. Illud autem sæpe monebat *Arnestus*, ad Regnorum Pacem, & amorem Principis conferre plurimum, si Nobilitas amaretur, patriæque homines, & populis cari in magistratum venirent, nève comparatione & odio improborum Præfactorum, deterrima gloria Principi, aliqua in speciem mitius agenti, quæreretur. Itaque etsi *Aula Caroli* forsitan ultra omnes, qui secuti postea sunt, Imperatores, Electoribus ipsis & Imperij Principibus, Comitibus, maximisque Viris floreret, tamen permisceri nihil vidisses. *Imperij Romani* res per Imperij Proceres; *Bohemia, Moravia, Silesia*, aliæque Provinciæ per patrios homines regebantur. Ecclesiastici honores præcipuè, notis & natis in Patria mandabantur, id enim ipsi Ecclesiæ utilius esse in utramque partem exempla docuerunt. Commendabat sæpe *Carolo Patriam Arnestus* (quod boni Ministri munus est unum è primis) rursusque Patriæ Principem amabilem reddebat, nè, ut *Sejanus* olim (qui Imperio nihil nisi cædes, & Cæsari metus præstitit) ex odio Principis cresceret, quodq; improbissimum servitij genus est, quietam Principis vitam atrocibus curis, & odijs publicis oneraret.

Ex eo *Caroli Cæsaris* in populos amore nata sunt illa immortalia ædificandi, & Patriam sibi, ac successoribus Regibus ornandi studia, ut verè existimem, duos hosce Principes, viginti annis plura ex publicis operibus ac privatis in *Bohemia* condidisse, quam omnes

Hagek A. 343.  
Cuthenus An.

1349.  
Schickfus. l. 1. c. 30. Annal.

Siles.  
Henlius in Silesio-graphia  
C. 7.

Cromerus l. 12.  
hist. Polon.  
Mischovius,  
Schickfus. loc. cit.

XII.  
Nobilitas æstimanda  
Principi, qui carus suis esse velit.  
Dubrav. l. 27.  
hist. Bohem.  
Hagek A. 347.  
1350.

Tacito.  
Ædificatio-  
nes Caroli  
IV.



Wagek Annis  
omnibus Caroli  
passim.

Carolus in Vita  
sua.

Lupac. in Vita  
Caroli.

Dubrav. l. 22.  
hist.

Cuthenus in  
Sylu. C. 33.

VVeleslavin. in  
Calend.

Lupac. in Ca-  
lend. Stransky  
in Republic.

Bohem.

Pontanus in  
Carolo.

Pons funda-  
tur An. 1358.

ita Cuthenus, a-  
lij 1357.

Sylu. in hist.  
Boh. C. 33.

Vita Caroli IV.  
Bohem. ad Ho-  
spitalarios, de  
qua Cochleus.

Eobanus in de-  
script. Nori-  
berga.

Mo 15 Petri in  
cingitur

1359. Cuthenus  
Dubr. l. cit.

Paul. Langius  
in Chronico.

Trithem. in  
Hirsaugiensi  
A. 1300.

Carus in An-  
nalibus.

Schickfus. l. 1.  
Annal. C. 30.

Rausnerus, &c.  
Miscbov. l. 4.  
C. 26. A. 1301.

Carus in An-  
nalibus.

Schickfus. l. 1.  
Annal. C. 30.

Rausnerus, &c.  
Miscbov. l. 4.  
C. 26. A. 1301.

Carus in An-  
nalibus.

omnes antè Principes tot sæculis præstiterint. De Arnesto dicam postea; de Carolo etsi indicem texere velim, lectoris tamen fastidium timeo. Erexit *Templum S. Viti*; in quo Colonienſis Metropolitanæ Ecclesiæ descriptionem est secutus; *Sacellum S. Wenceslai* pretiosum; *Arcem Pragensem & turrim*; *Palatium nobile*; ad imitationem regij palatij Parisiensis; *Domos Mansionariorum*; *Arcem Wissehrad*; totam *Novam Civitatem Pragensem*, *Pratoriâq;* *turres*, ac *mœnia* (quam Urbem etiam suâ manu divisit omnibus plateis descripsit *ibidem S. Catharina turrimum monasterium*; & *Carloviense*, & *S. Apollinaris*, item *Ambrosianum*; tum *Pontem Pragensem* inclytam opus, & turrim celebratissimam, Ponti non cessurum *Monasterium Slavorum*; *Monasterium Servorum* Beatissimæ Virginis; *Univerſitatis Carolina* regium ædificium; *Arcem Carlstein* sumtuosissimam, cum minore arce *Karlik* dicta (plurimasque alias arces, quas antè Proceribus oppignoratas redemit) *Noribergæ Collegiatam Ecclesiam* in foro; aliam in *Italia* Divæ Virginis sacram in Terentij villa, cujus *Patronus* erat *Præcentor Ecclesiæ Pragensis*; iterum in Urbe Pragensi minore, ingentia illa *mœnia* (quod opus immeritò reprehendit Dubravius) rursus *Monasterium Tachoviense & Oibimense* fundavit; *Boleslaviam* veterem, insitâ magnificentia, *Arnesto* incitante permunivit; In *Marchia* arcem egregiam penes *Francofurtum* ad *Oderam*, & in honorem *Caroli Magni* in civitate *Engelheim* pulcherrima opera, ac *Monasterium* ingens ex *Caroli* palatio excitavit. *Wratislaviam Urbem* ultra *Olam* fluvium extendit, ædificijs ornavit, mœnibus cinxit; *Templum S. Dorotheæ* perelegans condidit, suâque ipse manu *Civibus* descriptionem platearum & domorum, post crudelissimum illud incendium, quo tota propè *Civitas* concidit, misit, ut florentissima hæc civitas hodièque multas in Imperio *Urbes* pulchritudine provocare possit, meritòque *Carolum Silesia Patrem*, *Cyrum* alterum & *Augustum*, ejus regionis historici non dubitent appellare. Quid *collegiatas Ecclesias a Carolo* conditas enumerem? scio me plurima præterijſſe, sed ad *Institutum* satis, ut constet, qualem *Patriæ Principem* educârit *Arnestus*.



Inter hæc *Arneſtus* Regem admonuit, ut *Wenceſlaum* filium (ignavum deinde, & nihili Principem, ac verè veteri Gallorum exemplo Regem *Nihil fecit* appellandum) optimis Præceptoribus imbuendum traderet; fecit Imperator; sed nimirum quidquid agas, ex urtica rosetum tamen non exprimas; benèque de hoc dici potest, quod ille de *Claudio*: *aut Regem aut fatuum nasci debuisset.*

*Dubrav. l. 22.*  
*hiſt. Educatio*  
*ſitorū non ul-*  
*tima Principū*  
*cura.*

*Seneca in Apo-*  
*colo cynthosi.*

Hæc fuere *Catholica* quædam, ut vocant, *Arneſti* præcepta, quæ magnâ diligentia ex *Scriptoribus* nostris & exteris, atq; etiam *Manuſcriptis* codicibus in hunc locum comportavi. *Floriferis ut apes in falibus omnia libant.* Non igitur mirum his pulcherrimis regnandi artibus usum *Carolus*, Regnum *Bohemiæ*, quod à *ferreo Patre Ioanne* Rege *ferreum* acceperat, *aureum* reddidiſſe. Et verè non modò aurei illà ætate mores, aurei homines, aureaque ſimplicitas, sed etiam *aurei montes* fuere. Tegere ſe auro & argento turres poſſe, non vanè *Carolus Imperator* jactavit. Ut argenti fodinas æceam, *Gilovienses* aurifodinæ *Arneſti* temporibus ad miraculum auro abundabant. Conſtat ex *Præſecti Giloviensis* rationibus, eum qui in *fossa, Sſlogirz* dicta, tricetiſimam tenebat, in annum 200. millia *aureorum* accipere ſolitum; duodecim ejuſmodi tricetiſimas *Civis* quidam *Pragenſis* habebat; neque ea *fossa una Gilovij* dives fuit, sed aliæ plures, quarum undecim de nomine recitat *Hagecius*. Quid ego de ſecuritate, opulencia, & omni genere *felicitatis* dicam? quid de *multitudine Populi*? quid de *preſtantia & flore Nobilitatis*? quid de *Viris doctis*? quid de *pietate & ſanctitate* in *Cœnobijs, & Templis*? quid de *ipſorum Cœnobiorum, & Templorum ſtructuris & ornatu*? *Pontani* verba ſunt: *judicio meo dico: quicunq; voluiſſes gloriam Regni Bohemia videre, tunc vidiffes.* Sanè magnæ illæ *Caroli* virtutes, diu ignaviam filij ſuſtentârunt, donec columnâ *Religionis* ſubtractâ, per hæreſin Regnum (quo *ſtrentius* in *Europa* ſuo tempore non fuiſſe, affirmat *Pius Pontifex*) in *Wenceſlaum* imperantem cecidit, ſecumque unâ ruina *noxios* juxta ac *innocuos* involvit.

*Borch in hiſt.*  
*Bohem.*  
*Dubrav. l. 1. est.*

*Felicitas, &*  
*ſecuritas Im-*  
*perij Caroli*  
*no.*

*A. 1369.*

*Pontanus in*  
*Carolo IV.*

*In hiſt. Boh.*

Scio *Carolo Cæſari* obijci quædam & poſſe & ſolere, quæ ſequentes ætates non probaverunt; ſcio eum à *Maximiliano I. Imperij*

*Defenſio Ca-*  
*roli IV.*

T.

perij



Schickfus. l. 1. perij vitricum appellatum; unum scripsit aliquis, peccasse Casarem  
 histor. Siles. Carolum, quod talem filium Imperio reliquerit; sed quis Pater hoc  
 C. 30. præstare potest, & cum ambulatoria sint Principum voluntates, qua-  
 Dubrav. hist. l. 22. lis ab obitu Patris filius futurus sit, quis audeat polliceri? suum,  
 An. Sylvius C. 33. cuique pulchrum. Alij emtam filio cum Imperij jactura Coronam  
 Besold. synops. histor. C. 18. accusant; an non eorum major est culpa, qui vendiderunt? qui re-  
 tinuerunt? & an deesse in Antiquitate exempla possunt Optimo-  
 Sigonius de Re- gno Italia l. 20. rum Cæsarum, regna per favorem, & dona mercantium? quid de  
 Turfess. Episto- me hist. l. 9. ijs olim Cæsaribus dicemus. qui non pauca quædam vectigalia, ut  
 Ioan. Bodinus lib. 6. method. Carolus, sed Provincias integras ad Imperium spectantes accepta  
 histor. in fine. pecuniâ jure suo vivere iusserunt, alijsque qui Urbes Imperij ven-  
 Barclay, in I- diderunt? sed Carolus in Vita sua defendetur & defenditur; Deusq;  
 C. 5. ipse pijsimum Principem defendit, cujus corpus incorruptum à tot  
 Pontan. l. 2. sæculis servat. Videat, amabò, Lector eruditus luculentam illam  
 Bohem. Pia. & verè Cæsaream Caroli orationem (quam ad verbum recitavit  
 Jusin. l. 2. C. de Borekus) quâ is Legatisque ab Imperio ad se Pragam missis, respon-  
 vet. jure ensu- dit: eâ oratione ita Carolus accusationem sui diluit, adeoque Le-  
 elcand. gatis fecit satis, ut illi quod opponerent, non haberent. Valeat ad  
 Borek. VVrati- extremum illud Justiniani, quod de memoria dictum, ad vitam  
 slav. in histor. humanam satis aptè transferimus: *in nullo penitus peccare divini-  
 Bohem. germa- tatis magis quam mortalitatis est*; quin adeò hæc pauca peccata  
 nicè VVitteberg edit. f. 327. (quæ post Arnesti mortem admilla sunt) plurimis alijs in Impe-  
 Dubrav. l. 22. rium beneficijs, ac præcipuè Bullâ aureâ, quâ unâ sustineri Impe-  
 Schickfus. l. 1. rium Romanum graves authores affirmant, Carolus extinxit. Jam  
 C. 30. & C. 33. verò quæ per Casarem, ut primus Minister, Arnestus gessit, relatis,  
 Besold. l. cit. ad propria ejus gesta quasi ex peregrinatione redeamus.

## Notæ in Caput XII.

**C**onjugia magnorum Principum. De is  
 agit Scipio Ammiratus. L. 5. in Politic. discursu 6. Ingens  
 potentia firmamentum (ait Strada Dec. 1. l. 5.) vicino-  
 rum Principum amicitia.

Nobi-



**Nobilitas amaretur.** *Id sentit & probat R. P. Conzen S. J. Polit. L. 8. C. 20. Boccalin. aliq, Itali Scriptores. Rationem pulchram adducit Baro Sprinzenstein in Facie Imperij ad Ferd. III. Imp. P. 1. §. 5.*

**Patrijque homines.** *Id tanquam maximum Imperij arcansum ubiq, commendat in aureo libello de regno ad Arcadium Synchus. In eam rem Strada: Subjectis populis, inquit, pars libertatis videri solet, à suorum aliquo gubernari.*

**Aula Caroli maximâ nobilitate.** *Florentissimam Principibus viris Aulam Carolum IV. habuisse ex Scriptoribus constat, eamq, duplicem: alteram Imperialem, alteram Regni Bohemicae, & adjunctarum Provinciarum. In Aula Imperiali Praga hi censi in manuscriptis leguntur. Gerlacus Elector Moguntinus. Stephanus Comes Palatinus Rheni. Rudolphus Elector Saxonie cum filio inidem Rudolpho, qui Praga sibi domum adificarat, uti etiam Fridericus Dux Burgundiae. Ex statu Ecclesiastico fuere Episcopi: Mindensis, Marquardus Augustanus, Joannes Misnensis, Petzko Lubecensis. Illustrissimi Proceres: Joannes Burggravius Norimbergensis, Albertus de Anhalt, &c. Proximi ab his erant: Rudolphus Dux de Teck. Udalricus Lantgravius de Leutburg. Comites de Zollern. de Helffenstein. de Hoenberg. de Barbee. de Gleichen. de Ollamundt. de Ottingen. de Schwartzburg. de Wertheim. de Mecklburg. Item alij Proceres Aulae Imperialis: De Hoenloch. de Brunecz. de Hobog. de Fryburg. de Hanau. de Ebrstein. de Elrbach. de Rodemkyr, &c. Non erit forsitan abs re Aulam Caroli IV. Bohemicam ex vetusto M. S. Codice recensere, in quo Codice singularum insignia gentilitia suis coloribus depicta spectantur; gratum id erit Antiquitatis amantibus, nam liber in vulgus ignotus est (cujus mihi copiam fecit R. P. Crugerius S. J.) simul intelligetur, quam multa illustres Bohemorum familiae perierint, quorum nulla in familijs Paprocianis mentio.*

Aula Imperialis Caroli IV.



## Aula Bohemica Caroli IV. A. 1358.

**D**omini de Rofis, de Wartenberg, de Landstein, de Hazmburg, de Sternberg, de Lippa, de Szwihow, de Welharticz, de Ruckstein, de Rabstein, de Strackonicz, de Dubba, de Pardubicz, de Guttenstein, de Waldstein, de Novadomo, de Zierotin, de Kunstad, de Szwamberg, de Nachod, de Koldicz, de Cimburg, de Straz, de Dona, de Herstein, Flaska, de Kragek, de Horzowicz, de Kuchlitz, de Panowicz, de Lichtemberg, de Rozdielowitz, de Czitow, de Scherffenberg, de Biberstein, de Osseck, de Zdeslai, Mutina, de Liticz, de Czastolovicz, Krussina, de Austa, Daupovecz, de Janovicz, Milota, Bavorij, Smapolczky, de Wifforzewitz, de Reiferfitt, de Zakawa, de Trzeboricz, de Milericz, de Sztiedra, de Hayko, de Gwoliczen, de Peskovitz, de Prostieborz, de Pernaticz, de Sckychleb, de Bernaditz, de Temnericz, Cziborij. *Hac ex manuscripto.*

*Dubrav. l. 22. His adijce Joannem Fratrem Caesaris, Carinthia ducem. Item Silesia hist. Bohem.*

*Aulici apud* plerosq; Principes; item Archiepiscopum & Principem Arnestum: *Episcopos* Olomucensem & Wratislaviensem, ac Litomislensem, *Caesarem* qui Cancellarius Caroli fuit. Anno 1356. cum Pisani Caesarem in Vebe *praestantissimi* sua haberent, & incautum ad mortem quererent, soli Aulici domestici pauculi (nam alios Caesar cum exercitu in Bohemiam praemisisset) exigui numero, sed bello vivida virtus, hostes repulere, & Caesarem in medio agminis sui deducere ad forum. Ex ijs militari Baltheo ob occisos hostes donati: Henricus de Novadoma, Czeniek Lippaus, Benefs de Kolowrat, Georgius Kaplirz, Jaroslaus Kapaun, Bussek de Hodkowa, Zdenko de Lomnicz, Smil de Daubrawicz, Benefs Lomniczky, & plures alij.

## Veteri Gallorū Exemplo Regem nihil fecit.

Ludovicus Carlomanni filius ob ignaviam à Gallis omnibus Scriptoribus Nihil fecit (*Faiseant*) appellatur. Aimoinus L. 5. C. 41. Fauchet. in Lothario. Odorannus, &c. Alex. Patricius in Marte Gallico L. 1. C. 17.

Regnum



Regnum aureum reddidisse. Nihil esse gloriosius bono Principi potest, quam illis, divites, ac potentes habere subditos, & Patriam totam florentissimam opibus, ac pecunijs relinquere. Vide Scipionem Ammiratum. L. 2. Politicor. Discursu 8. Id sentiebat Carolus, adeoque subditorum felicitatem amabat, ut suam. Caroli IV. amor in subditos & præcipue Urbis Pragensis. Referunt Historici, cum ex fenestra Arcis Pragensis Urbem despectaret, adstantibus filijs Wencellao, & Sigismundo, flevisse. Tum Proceribus conterritis, & fletus carissam quarentibus, dixisse: revelatum sibi divinitus, ex his filijs alterum exitio Bohemiae & Religioni, ac florentissimæ hanc Urbi fore. Addiditque: si sciret, uter esset, & si DEI voluntas mutari posset, se manu sua DEO illum immolaturum. Vterque filius, quod Pater timuit, fecit, malæque gubernatione, artibus patris & virtutibus non usi, aut severitate, aut dissimulatione intempèstivâ, & publicam curâ Religione perdidit.

Carolo Cæsari obijci quædam posse. Est quidam in quo Caroli sinceritatem requiras. Vt quid enim illa otiosa & odiosa Privilegia à Friderico Cæsare Bohemis dati, explicatio? Vide Hagek A. 1348. Privilegia restringi non debent, sed extendi. Illud item, quod recitat Schickfus. L. 1. Annal. Siles. C. 33. pugnat è diametro cum Privilegio ab ipso Carolo Bohemis dato, neque potuit is contractus sine Regni Universi consensu celebrari. Alia, qua reprehendere possis, vix invenias: nam ridiculus omnino est Crantzius, qui in Carolum crimen, quod nullus unquam objecerat, confinxit; aitque, adversarium veneno sustulisse; quem tandem illum? id verò neque Ludovicus Bavarus ipse dixerit, si surgat, quem Carolo conciliatum, sine suspitione veneni senem equo lapsum obijisse, etiam historicorum pueri sciunt. Forfitan inauditj Nancerum à Joanne Rege (quod ipsum probari non potest) veneno extinctum, adeoque crimen Patris in filium transtulit? an forte Guntherum Comitem à perduellibus in Carolum contemptum, Cæsarem appellatum significare voluit? at hunc non Carolo, sed Justitia divina pœnas pendisse, utpote hæreticum, Rebdorffius & Vaticanus Codices apud Raynaldum, ostendunt; quæ de re cum laureatas litteras à Carolo Pontifex accepisset, pulcherrimam



nam victoria divinitus sine sanguine parte gratulationem Clementem remisit, quam Raynaldus in *Annalibus Ecclesiasticis* recitavit. Ineptire igitur Crantzius sinamus, atque inter errores alios, quibus ejus scietur historia, hanc quoque calumniam in Carolum condonemus. Quid ineptius, quam Saxones à Sazava, Misniacos à Misa, ignobilibus fluvijs, qui in Bohemia ipsa antè quàm Pragam influant, nomen amittunt, deduci? quid magis insulsissimum dici potest, quàm Regem Bohemix ad Electionem Romani Imperatoris non vocari? Apparet hominem Bullam auream nunquam vidisse, neque Majorum auctoritate, sed sui ingenij auspicijs, historiam scribere voluisse. At Carolum veneni dati suspicione vita maximis virtutibus exacta copiosè absolvit. Vide quæ de Carolo meliores historici scripsere, miror Crantzius errorum quorundam suorum Patronos hæc atate habere: nimirum nihil aliud, etiam in historijs etas nostra querit, quàm novitatem. Periculo proximi sunt, ejusmodi Scriptores, qui viam Antiquitatis regiam deserunt, illudque pulcherrimum esse putant, quod novum. Itaque (quod omnis Antiquitas sensit) neque Czechus, neque Lechus in Bohemiam aut Poloniam venit, &c. erravit tota vetustas, hi melius post tot sæcula cum suo Crantzio sciunt.

Hæc de re vide  
Befold. in sy-  
nopsi hist. Gel-  
dastum in Con-  
stit. Imp.

Sprünzenstein  
in Facie Nova  
Imperij. Mar-  
quardum Fre-  
berum de Iure  
Electora. Rom.  
Imp. Regibus  
Bohe. compe-  
tente, Rudolphi  
I. Caroli &  
Ruperti Pala-  
tini Attesta-  
tiones, &c.

Caroli Cæsa-  
ris Corpus  
hodieque in-  
corruptum.

**Corpus Caroli incorruptum.** Iacet vivo, quàm mortuo similior Pragæ in Regum Tumulis Imp. Carolus, ut Pontanus in Bohemia Pia narrat, qui vidit; Cùm enim initio hujus sæculi Regum antiquorum Corpora, jussu Cæsaris Rudolphi, moverentur, & in marmor alabastrinum transferrentur; Pontanus ipse Metropolitana Ecclesia Pragensis Præpositus, nè fraus locum haberet, omnium tumulos aperuit, pluresque Regum, atque inter eos Carolum, incorruptum invenit, & transtulit, nam ei operi Præfectus erat, à Cæsare.

Arne-



Arnestus Archiepiscopus hæ-  
reses quasdam nascentes in ortu suo eli-  
dit. Reliquias Corporum Sanctorum  
veneratur, & de eorum cultu li-  
bellum evulgat.

A. 1347. &  
1348.

### CAPUT XIII.

**V**enerabili *Arnesto* otiosum nunquam esse licuit, nec mo-  
dò sua illum virtus, & *Caroli* Regis pietas, sed aliena etiam  
impietas exercuit. Editus est hoc tempore liber, qui Cæ-  
sari nimirum tribuens, Pontificis Maximi dignitatem, quæ  
major Catholicis non est, adulatione Cæsari substernebat; Libro  
titulum author præfixerat formosum (nam etiam venena ador-  
nantur, & præferunt cultum) *Confessor Pacis* dicebatur. Tantâ in  
opprimenda hæresi celeritate usus est *Arnestus*, ut, etsi multum  
quæserim, *Authoris* nomen in nullo Scriptore invenire potuerim.  
Flammis quibus corpus injectum est, & librum, & nomen arsisse  
oportuit. Nimirum in Hæresiarcharum, & Schismaticorum pœ-  
nis nunquam satis festinatur; hæresis multum à tempore sibi vi-  
rium adjicit, atque ut venenum tactu, & tractatione vulgatur.  
Mitiora consilia adversus *Flagellantes* *Arnesto* placuerunt: hi falso  
pœnitentiæ, & Pietatis colore ex Germania nobis occidentali, in  
*Bohemiâ* penetrantes totam *Vrbem Pragensem* miraculo tanti  
doloris suspensam tenebant; mox ubi autoritatem aliquam vir-  
tutis parârunt, cum linguæ Germanicæ gnaris, miscere populari-  
ter colloquia, ad verberationem, & pœnitentiam simplici pietate  
invitare, & illicere, *matronas præsertim*; mox nocturnos cœtus  
cele-

Arnesti in  
opprimenda  
hæresi cele-  
ritas.

Paprocky in  
in Arnesto.

Hagek A. 1347

Gautierius in  
Chronologia  
fac. XIV.

Hagek A. 1348

Schickfus. in  
Annal. Siles.

l. 1 C. 30.

Dubrav. hist.

Boh. l. 22.



Flagellantes  
hæretici Ar-  
nesti vitam  
oppugnant.

1349.

M. S. Vitæ

Arnesti cum  
Nicolao Ro-  
mano certan-  
tina pro fi-  
de suscepta.

Dubrau: Ep.  
Olomuc. l. 22.  
histor.  
Enc. Sylviu  
C. 31. histor.  
Bohem.

Hagch A. 1349.  
De hoc Nico-  
lao plurima in  
Annal. Eccl.  
Tomo XVI.  
Raynald. ma-  
xime 1347. N.  
13. 14. & seqq.

celebrare, & fanda infanda tenebris testi perpetrare. Statim *Cesarem Archiepiscopus* admonuit, capti Duces, & tormentis examinati, quod erat confessi sunt. Rogus à *Cesare* destinabatur miseris, *Arnestus*, ut ait Hagecius, *misericos Pater intercessit*, factisque habuit monitos, & meliora pollicitos, dissipato coetu in perpetuum Regno proscribere. Anno sequenti alius *Flagellantium* coetus (nam Germaniam omnem pererrabant) disiectus ab *Arnesto*, quanquam ægrius dimittitur: Ambusti propè flammis, nunquam deinde redierunt. Vitam Archiepiscopi insidijs appetivisse turpissimos homines, vitæ scriptor significat, parùmque abfuisse, quin exciperetur. Nihil tamen *Arnestus* de constantia remisit, sed exegit procul fugitivos, cum in tam bona causa mori non recusaret.

Gravior à Roma tempestas, quantò primæ sedis vicinior oritur hoc tempore, quæ sine dubio grandi procellâ Ecclesiæ agros verberasset: *Nicolaus Laurentius* quidam *Vrbis Romana Tribunus*, qui seditioni ac tumultui libertatis speciosum nomen imposuerat, seque *Romane Reip: liberatorem illustrem, zelatorem Italia, amatorem Orbis, libertatis, Pacis, Iustitiæ, Tribunum, severum & clementem Candidatum, & Equum spiritus sancti* appellabat, *Pragam* advēnit. Is auxilium à Rege Romanorum *Carolo*, adversus Pontifices Romanos, quorum Tyrannide oppressam Urbem Imperatoriam querebatur, orabat: restitueret proinde libertatem *Romanam Romanus Imperator*, aut ipse Urbem felicissimam regendam susciperet, æternum hoc facto nomen, & parem antiquis Imperatoribus gloriam consecuturus. Audijt summâ eloquentiâ pro Urbe Romana meditata oratione perorantem, ac Romanas victorias, aliâque antiqua Urbis decora memorantem *Carolus*. At *Arnestus*, periculo animadverso, hominem subito interpellans, tantâ interrogationum subtilitate, tantâque rationum vi percussit, ut sæpe in orbem actus, idem modò negaret, modò affirmaret, magnòque Procerum risu, ab *Arnesto* pro sancta Sede pugnante victus, ac penè pro fatuo habitus ab omnibus, discederet. Circumsisti, *Arnesto* monente, hominem *Carolus* iussit, vectusque ad Archi-



Archiepiscopi ditionem *Raudnicium*, carceri inclusus est, dum denique ad Pontificem *Avenionem* mitteretur, quod plerique eorum temporum Scriptores commemorant, ac præcipuè *Raynaldus*.

Neque *Caroli* Regis animum occupâsse contentus *Arnestus*, *Ioannem* quoque *Caroli* fratrem ad virtutis partes feliciter attraxit, etsi post Uxoris adulterium & ejusdem repudium aliquantum nuper exerrârat. Vixit deinde *Ioannes* summâ morum famâ,

& in arce *Zebraçensi* opulentum Sacerdotium fundavit. Sunt inter manus *littera* *Foundationis*, quibus candore simplici, quòd *DEI* bonitatem toties offendisset, se in *Pœnitentia* partem, *DEO* omnipotenti, *Beatissima* *Virgini* *DEI* *Matri*, *S. Wenceslao* & *S. Apollinari* dedicare sacellum significat, ut pro tot suis sceleribus incruenta, & innocens hostia, *Christus* *DEI* *Filius*, quotidie in altari immoletur, &c. Epistola hæc tam humili & tam tenero *Pœnitentiæ* affectu scripta est, ut à Principe nihil simile scriptum legerim.

Jam verò de *Reliquiis* *Sanctorum*, quarum studiosissimus semper *Cæsar* *Carolus* fuit, quâsque *Arnesto* incitante toto orbe collectas *Bohemia* intulit, aliquid dicamus, oportet cum id ratio temporis postulet à nobis. Tria ego *Reliquiarum* sacrarum in *Bohemia*, ætate illa genera fuisse comperio. *Primi generis* *Imperiales* dici possunt: eæ scilicet, quæ à *Caroli* *M.* temporibus ab eodem

in Oriente conquistæ apud Imperatores, velut fatale Imperij pignus asservari sunt solitæ. Agunt de illis plerique temporum illorum

Scriptores, eæque A. 1349. post *Ludovici* *Bavari* mortem, *Mona-* *chio* *Pragam* ad Cæsarem missæ, primùm in Arce *Wisschradensi* deponuntur, mox in earum honorem celebri supplicatione ab *Arnesto* Nostro institutâ, in Cæsaris ac Procerum comitatu, totâ Urbe *Prageni* ad earum venerationem effusâ in *Cathedrale* *S. Viti* *Tem-* *plum* illatæ, subinde ad Arcem recens ob id conditam *Carlssteinium*

deportantur. Unum diem publici cultûs imperavit *Arnestus*, diem Veneris videlicet post octavam Paschæ, quo die Sanctæ illæ *Reliquiæ* publicè colerentur, atque in foro medio *Novæ* *Civitatis* *Prageni* honorandæ populo proponerentur. Erant inter eas *Crucis* *Christi* bene magna portio, *Arnim*, quo *Christi* corpus di-

*Dubrav. Silvo*  
*Hagek, &c.*

*Vita* *Nic. Law-*  
*rentij* C. 16. 19.

*Gesta* *Clemen-*  
*ti* VI. *Raynal,*

*Annal. Escl.*  
*Tomo* XVI.

A. 1359. N. 7.  
& 5.

*Hagek* A. 1341.  
*Dubrav. l. 22.*

*hist. Boh.*  
*Carolus* IV.

*Imp. in* *Vina*  
*sua.*

*Ioannis* *Prim-*  
*cipis* ad vir-

tutem con-

versio.

*Recitat eam*  
*Hagek* A. 1341.

*De* *Sanctorum*  
*Reliquiis* in

*Bohemia.*  
eæque sunt

triplices.  
*De* *Imperiali-*  
*bis* *Reliquiis.*

*Rebdorsius*  
*Dubrav. l. 22.*

*hist. Bohem.*  
*Raynaldus* in

*Annal. Eccles.*  
*Christiann* *Erds-*

*mannus* l. de  
*Reliquiis* *No-*

*riberg. obiit*  
*Ludovicus* A.

1349.



rillimè confixum est, *Lancea*, quæ in Divino Christi latere stetit, aliâque sancta cimelia. His addidère sequentes Cæsares quadam Imperij Regalia, ut *Coronam & Sceptum Magni Caroli*, & *Ensem* ab Angelo datum, Paladamenta, variûmque Sacrorum apparatus, quo induti Cæsares Evangelium, ut Diaconi, canebant in Sacris, &c. De his sanctissimis Reliquijs, ac præcipuè de *Lancea* Epistolam postea scripsit *Innocentius VI. Pontifex*, quæ in sacerdotalium Precam officio, Lectionum, ut vocant, loco, per Diocesin hanc legitur. *Arnestus* item (ut communia cum Pontifice studia Pietatis habebat) aliam *Epistolam de sanctarum Reliquiarum veneratione*, luculentam illam, & à multis laudatam vulgavit, quæ nimirum sparsa in populum, atque etiam in alienas terras perlata, maximam, ut dicemus postea, *Pragam* peregrinorum multitudinem advocavit. Has *Imperiales Reliquias* amisit *Bohemia* jam inde à *Sigismundi Cæsaris* temporibus, auroque aliquâ parte à Lutheranis custodibus spoliata, *Noribergæ* servantur, de quibus *Notas* adjectas consule.

A. 1354.  
Lupac. in Cal.  
hist. et. Martij  
& 3. April.

Carlsteinen-  
ses Reliquiz.

Descript.  
Districtus  
Podbrscenf.  
A. 1645.

Cathedrales  
Reliquie.

*Alterum* in *Bohemia sacrarum Reliquiarum* genus (si mihi imponendi nominis sit arbitrium) *Carolinas* aut *Carlsternenses* appellare non dubitem. Eas nimirum *Cæsar Carolus* Europâ sæpius percursâ, sagaciter explorans omnia, impetratas, & ex omnium Ecclesiarum ac Cœnobiorum sacris thesauris quasi defractas, attulit, & *Bohemis* suis donavit, ac deinde in arce *Carolina* cum Regni Corona composuit. Egi de ijs pridem, cum arcem *Carolinam*, & *Districtum Bohemiæ* (quem *Podbrscensem* vocant) describerem. Nostrâ tempestate *Carlsteinio* ponentibus bellis *Pragam* allata, in *Metropolitana S. Viti Ecclesia* sedem stabilem fixerunt. Difficile est, quàm pretiosæ & raræ, quàm numerosæ, & quantâ magnitudine insignes hæ *sancta Reliquia* sint, explicare.

*Tertium* præterea *Reliquiarum* genus apud nos est, quas *Cathedrales* apello, eas scilicet, quas *Carolus Cæsar*, impetrante præcipuè *Arnesto*, Cathedrali Ecclesiæ *Pragensi* multo auro, argentoque prius circumposito donavit, quæque semper in Ecclesia *S. Viti* mansere. Earum *Reliquiarum* festum diem, *Arnestum*, Noltes,

Octavo



Octavo post S. Stephanum die celebrari iussit. Priores illæ seu *Imperiales*, seu *Carolina* passim referuntur in Libris (nam de Imperialibus latè agit *Erdmannus*, de *Carolinis Hagecius*, & R. P. *Chanosky S. J.* aliique complures) at *Cathedrales Reliquia Sanctorum*, quæ qualisque sint, paucis notum esse video. Earum igitur indiculum ex Manuscriptis Ecclesiæ Pragensis Libris confeci, & Notis adjeci. Quamvis enim priores quoque ad *Arnestum* pertineant, cum eo incitante, & plerumque Casarem sequente, collectæ sint, tamen hæ postremæ, propriæ quodammodo *Arnesti* videntur, quia *Arnesto* agente à Carolo impetratæ, & Ecclesiæ Pragensi sunt procuratæ, ideòque *Carolus Imperator*; cum eas Ecclesiæ Pragensi litteris confectis donat, eas se precibus *Arnesti* inclinatum donare sapius fatetur. Ob eam rarissimarum, pretiosissimarum & sanctissimarum Reliquiarum multitudinem, & Peregrinorum quotannis Pragam affluentium Pietatem existimo factam esse, ut Ecclesiæ Pragensis *Sancta* titulum in Antiquitate meruerit, quo hodièq; gloriatur. Inter hæc Reliquias vix quidquam præstantius esse potest, quàm *Regis Vngariae Ludovici* pretiosissimum donum. Nescio quæ offensiones *Carolo* cum Rege illo intercesserant, gliscebantque odia, & inquietorum Procerum consilij bella cupientium, uterque Rex arma spectabat; *Arnestus* Legatos primum mittendos censuit; missus *Tobias de Kamenicz Leskoveciana* (ut arbitror) stirpis. Rex *Ludovicus* optimus, & pacis amator, prolixè facturum se *Carolo* satis ostendit, simul muneri (cum *mores Caroli* non ignoraret) *Mappam*, super qua cœnam ultimam de corpore, & sanguine suo Christus DEI Filius celebrarat in terris, seque sub bina specie Apostolis diviserat, mittit. Id donum tantâ benevolentia *Carolus* accepit, ut Pacem æternam cum Rege sibi fore, juraret. Nimirum *Mappa* illa de uno pane participare nos omnes, unumque fieri in Christo corpus admonuit, & magno *Eucharistia* miraculo, omnes Regum delevit injurias. Allata *Pragam*, & ante *Casarem Archiepiscopi* manibus evoluta, lacrymis & osculis utriusque, ut narrat *Hagecius* salutata, Metropolitanæ Ecclesiæ Pragensi ab Archiepiscopo impetratur; statim ut æter-

Earum Fc. R. G.

Mappa Cht-  
sti Domini.Paproc. in  
Arnesto.

Dubrav. l. 22.

Hagek. A. 1740.



A. 7. Bohemia  
Pia.

num beneficium esset, litteræ donationis conficiuntur, quas in sua Bohemia Pia Pontanus recitavit, *Arnesto* inscriptas.

## Notæ in Caput XIII.

Flagellantes  
heretici.

In Chronolog.

**F**lagellantium cœtus. *Hos Satan procreavit circa A. D. 1273. qui ad usq; Caroli tempora vixerunt. Eorum errores vide apud Gaultier. in Chronolog. sæculo XIII. in Collation. C. 6. & Prateolum verbo: Flagellantes, sed & alij heretici ( nisi quis eosdem fuisse contendat. ) paulò ante hæc tempora magno numero in Bohemiam ex Germania ascenderunt, Erneſto adhuc Decano. Jamnicy appellabantur, quasi dicas Fossarij, quòd in fossis sylvarum toti cœno libidinum immerſi latitarent, & latenter catholicos infidys exciperent, ac necarent, precipuè Novodomenſem in Bohemia tractum infederant. Ulricus de Novadomo loci dominus, sæpius ab his tenebrionibus appetitus, fidei Catholica studio incensus arma sumſit, eosq; excindendos suscepit. Sunt in manibus Benedicti XII. litteræ ad Ulricum de Novadomo Baronem de Bohemia, Avenione A. 1340. data, quibus ejus consilium & studium Religionis probat, eiq; & Militibus Indulgentias largitur us non minores, quæ in subsidium Terræ sanctæ arma faventibus conferuntur. Recitat litteras hæc in Annalibus Ecclesiasticis Raynaldus Tomo XVI. A. 1340. N. 72.*

Nicolai Laurentij potentia.

A. 1347. 1348.  
1349. 1350. &  
seq. usq; ad  
1356.

Elementi Pont.  
Tomo VI. Ep.  
secret. 948.

**Nicolaus Laurentius.** *De immensa Nicolai hujus ambitione ac superbiâ, Tyrannide, imposturâ, cacodæmonum societate, magicisq; artibus, de admirabili item & prodigiosa, quâ pollebat eloquentiâ multis Annalium Ecclesiasticorum locis egit Raynaldus, tantumq; authoritatis eloquentia presidio consecutus est Nicolaus, ut & Venetos, & Ludovicum Bavarum juniorem, & Luchinum Vicecomitem, & Ludovicum Ungariæ Regem, & Johannam Sicilia Reginam, aliõsq; Siculos Principes in fœdus suum traxerit, qui omnes Oratoribus missis hanc ei dignitatem sunt gratulari, auxiliũq; polliciti. Profectò nisi à Pontificè Carolus admonitus in tempore occurrisset, multum ab homine vaferrimo Apostolica Sedes accepisset incommodi.*



C. XIII. ARN. HÆRES. PELLIT: SS. REL. HONORAT. 183  
modi. Auxit Nicolai Laurentij gloriam luculentâ Panegyri Franciscus Petrarca, quæ inter ejus opera hodièq; legitur, sed veniam meretur Petrarca, quia nondum, quò extrema hominis ambitio exitura esset, sciebat. Hic Laurentius postea cùm se Pragam ad aulam Caroli contulisset, captus, Arnesto Archiepiscopo traditur, ait Raynaldus; ob eamque rem Carolo Clemens gratias egit singulares per Epistolam, in qua hæc verba leguntur: sed & Serenitatem Tuam, quæ illum (scilicet Nicolaum) detineri, ac tandem Venerabili Fratri nostro Archiepiscopo Pragensi assignari mandavit, & fecit, eò uberioribus prosequimur actionibus gratiarum, quò, &c. missus Avenionem ab Arnesto Nicolaus, ex vinculis Eloquentiâ suâ se liberavit, sed iterum Romæ Tyrannidem renovans, tragico exitu trucidatus, unco tractus, atque in cineres redactus scelerum suorum meritas penas dedit.

**Imperiales Sanctorum Reliquiæ.** Error hic quorundam evellendus est, qui putant eas Reliquias, quæ Noribergæ asservantur, ad Bohemiæ Regnum pertinere. Errant toto cælo. Sunt enim hæc Cimelia Sacra Imperij, longè ante Carolum IV. à Carolo Magno ex Oriente collecta, semperque ad Imperatores & Imperium spectabant, itaque ad Carolum IV. post Ludovici Bavari mortem pervenerant, qui eas Carlsteinij diu servavit. Sigismundus Cæsar bellis Hussicis imminentibus cùm pecunijs egeret, multaque passim ex templis, ac præcipuè Pragensi, ob bellum in hereticos gerendum raperet (quod genus pecunia ex Sanctorum sepulchris nunquam Regibus ad victoriam contulit, ut plurimis exemplis constat) Noribergensibus quasdam primùm A. 1420. pro quinquaginta millibus oppigneravit; mox, probante Martino III. Pontifice, circa A. 1424. omnes Noribergam transtulit: Asservabantur in Hospitali S. Crucis, certoque die populo summâ veneratione monstrabantur. A. 1428. Sigismundus Cæsar addidit eodem Imperij Regalia (ut habitum Caroli Magni, Coronam, Sceptrum, Ensem, &c.) Ne verò Imperiales Reliquiæ Noribergâ in posterum auferri possent Martinus V. Nicolaus V. Pius II. Pontifices, precibus Noribergensis Civitatis, quæ Catholica fidei præ-



ceteris Urbibus studebat, sub anathemate, datis Apostolicis literis, caverunt. Omnia hac retulit liber ipsis post A. 1630. editus, & Ferdinando II. Cesari dedicatus, probatque Author (id est Christianus Erdmannus) privilegium illud collatum Noribergensibus, si Catholica fidei adhererent, recusatque Pontificum literas, id disertè semper ad-

De SS. Reliquijs, quæ Noribergæ asservantur.

De SS. Reliquijs Regni Bohemiz.

Reliquia in Bohem. allata A. 1348. Cuthen. Pontan. l. 1. Boh. Tit. A. 1349. die Palmar.

Trithem. in Hirsangensi.

Serav. Morguntiacar. rer. l. 8. in Gerlaco.

dentes. Idem Author (Lib: de SS. Reliquijs Noribergensibus, & Pietate veteri Noribergensium) ostendit, quantà injuria eo in loco afficiantur sanctæ illa Reliquiæ. & rationibus allatis conatur probare, violatas esse, gemmasque, & aurum (quibus involuebantur) pro multis millibus in Poloniam venditum, idque manifestè allatis rationum tabellis evincit nominatis annis & diebus, quibus & quantum sit auri commutatum. Liber hic impressus multa habet digna lectu de

Monasterie Carthusianorum, &c. Item de fortitudine religiosarum Virginum qua inter hereses inconcussa fide, usq; ad A. 1590. per-

stiterunt, &c. At sacra Reliquiæ Regni Bohemiz eiq; adscripta, inviolata, nunquam ad hereticorum manus venerunt. Hodieq; ut dixi, in Cathedrali servantur; de quibus R. P. Georgius Ferus S. J. A. 1645. (cum Carlsteinio Pragam translata essent) libellum vulgavit. Recenset eas Hagecius, & ex eo Joannes Tonner S. J. in Ve-

stigio Bohemiz Pie. Vix credo Urbem ullam in Europa esse (unam Romam excipio) in qua tam rara, & tot Sanctorum Lipsana, atq; etiam ad Christum & ejus Matrem Virginem pertinentia invenire Pius Peregrinus possit. Nemo me ignarum hujusmodi rerum scribere opinetur; legi quæ Aquisgrani, Colonia, Venetijs, in S. Monte ad Monachium, alibiq; servantur; nihil (audacter & certissima fide, & comperta scribo) nihil ad hæc nostras, id quod æquo lectori proba-

ri posse, certum habeo. Unde autem hæc beatorum Cælium corpora, & mortales exuvia tanto numero in Bohemiam advenere? legantur, quæ C. x. hoc libro attuli, nunc Trithemij verbis, quæ Serarius Noster

recitat, respondeo: A. 1356. conventu Metis soluto, Carolus Imperator cum uxore transivit de Civitate in Civitatem, & de monasterio ad monasterium, Sanctorum Reliquias ubique diligentissimè inquirens, ex inventisque multis precibus, quas nullus spernere potuit, obtinuit, quas ad gloriam & decorem Ecclesiarum gentis suæ Bohemis invexit.

In



## In earum honorem celebrem supplicationē.

Annal. Eccles.  
A. 1354.

Agunt de celebritate hac pleriq; omnes Bohemia Scriptores, nec Raynaldus in Annalibus Ecclesiasticis scribere omisit magnā Bohemorum gratulatione has Sanctorum Reliquias Pragam advenisse. Vnum illud perturbare studiosum chronologia Lectorem potest, quod Annum 1354. posuerit: nimirum Diploma Innocentij, quo Festum Reliquiarum Diem statuit, Raynaldus respexit, sed longè antè hac tempora Anno scilicet 1348. aut sequenti Pragam allatas, Nostri Scriptores plurimis vetustis codicibus nixi demonstrant, quibus accedunt Trithemius & Serarius. Diploma Innocentij recitat hoc loco Raynaldus, in honorem sacræ Lanceæ potissimum scriptum sanè perelegans, addit alias de eadem re, easq; encyclicas litteras missas ab Innocentio fuisse ad Archiepiscopos Magdeburgensem, Pragensem, Colonensem, Trevirenses, ceterosq; Germaniæ Antistites, qua inter ejusdem Pontificis litteras in Vaticana Bibliotheca hodièq; servantur. Concludit totam hanc narrationem hisce verbis Raynaldus: Ornavit quoque Pragam Carolus Rex pluribus alijs sacris Reliquijs, quas ex varijs partibus ad conciliandam sibi multorum Sanctorum clientelam, ac pietatem Bohemorum ornandam cumularat, quas Innocentius Pontifex recenset. Hac Raynaldus.

Cuthenus A.  
1348. Pontan.  
l. 1. Boh. Pia.  
Hagek. Lycop.  
in Calend. hist.  
21. Martij. &  
3. Aprilis.  
Dubrav. l. 22.  
loc. supra cit.Reg. post eand.  
Ep. & ep. 411.  
& 412. Gestæ  
Innocentij VI.Raynaldus in  
Annal. Eccles.  
l. cit.l. 2. lit. divers.  
for. ep. 112.

Dubitare non possum, magnam me apud lectorem Bohemia antiquitatis curiosum inire gratiam posse, si de tertio genere Reliquiarum, quas nimirum Ecclesia Pragensis a 300. propè annis dono accepit à Carolo Cæsare, quasque etiam hodie sanctissime servat, breviter aliquid tracta vero, & quam qualisq; sint, atque unde collectæ doxero; sed magnus, ac major quam putare quis possit, hic labor est; præcipuas tamen in gratiam lectoris adducam, eoque libentius quod Reliquiæ Imperiales a multis enumeratæ sint, ut etiam illæ, quæ Carlsteinij asservabantur, quarum indicem linguâ Latinâ, Germanicâ, Bohemicâque confectum in populum sparsit P. Georgius Ferus S. J.; at istarum syllabum nemo unquam, quod sciam, Typis vulgavit. Est apud me vetus Martyrologium S. Ecclesiæ Pragensis ante annos fere ducentos conscriptum, ex eo quadam fideliter exceperam. Ac pri-

De SS. Reli-  
quijs Eccle-  
siæ Pragensis.Christ. Erd-  
mannus i. de  
Reliqu. Nori-  
berg. & alij  
supra citati.

m. 178



mum (ut hoc semel dicam) scire oportet. Omnia, quae enumerabuntur, auro, argento, ac gemmis Carolum prius ornasse, atque ita ornata Ecclesiae suae Prageni donavisse; deinde plerasque hasce Reliquias ab Arnesto Archiepiscopo impetratas, ne quis hac ad Arnestum non pertinere, & historia vim fieri arbitretur; porro in hoc indiculo Ordinem temporum & Mensum tenebimus.

JANUARIUS. 6. Idus allatae sunt ad Ecclesiam Pragensem Reliquia SS. Apostolorum Thomae & Jacobi; item Thadæi & Mauritij Martyris. Carolus Imp. 18. Calend. Februarij Costam S. Mauri Abbatis a Rege Francia, ex ipso Sancti sepulchro impetravit, & attulit. 16. Calend. S. Antonij Magni digitum, ex ejus Monasterio magnis precibus obtinuit, & pretiose decoravit. 13. Calend. Februar. S. Fabiani Papa; Capitis partem ab Arnesto Archiepiscopo Magdeburgensi donatam. 11. Calend. Febr. S. Vincentij Diaconi & Martyris Caput ex Monasterio S. Albani Magancia obtinuit, & Ecclesie Nostra donavit. 8. Cal. Febr. S. Ananiae, qui Saulum baptizavit, Caput Romae ex Ecclesia S. Pauli attulit. 4. Cal. Febr. S. Valerij Episcopi Trevirensis, & discipuli S. Petri, Capitis partem ex Monasterio Erbach Diocesis Moguntina.

FEBRUARIUS. 1. die S. Ignatij Martyris Caput ex Monasterio Ossik, Prag. Diocesis Ordinis Cisterciensis. 4. Nonas Febr. de lacte Beatissima Virginis, & partes duas de duobus cingulis ejusdem intemeratae Virginis, ex Ecclesia Augustodunensi. Nonis Febr. S. Agathae Reliquias Pisis ex Thuscia. 8. Cal. Martij, partem Baculi B. Apostoli Petri, in latitudine trium digitorum Treviris in Ecclesia Cathedrali obtinuit, quam in baculo Archiepiscopi Pragensis recondidit, impetravitq; à Sede Apostolica Carolus, ut in certis festivitibus, cum eodem baculo, Archiepiscopo in Pragensi Ecclesia celebrante, qui intererit, habeat indulgentiam unius anni, & unius quadragenae perpetuis temporibus duraturam. 6. Calend. Martij, S. Matthiae Apostoli articulum brachij, & alias Reliquias in Civitate Trevirensi in Monasterio ejus de sepulchro ipsius excepit.

MARTIUS. 4. Idus Martij, Caput S. Gregorij Papae & Doctoris, ex Monasterio S. Gebhardi in Civitate Constantiensi. 9. Cal. Apri-



C. XIII. *ARN. HÆRES. PELLIT: SS. REL. HONORAT.* 187.  
Aprilis S. Pigmenij Presbyteri, qui fuit Magister Apostata Iuliani  
Reliquias, & partem Capitis.

APRILIS. 7. Calendas Maij S. Marci Evangelistæ magnam  
corporis partem, & Caput ipsum ex Monasterio Auge majoris Ordinis  
S. Benedicti Diocesis Basiliensis (quod Cœnobium fundavit Carolus  
Magnus) at Carolus IV. multis precibus obtinuit, & factâ tum-  
bâ argenteâ deauratâ, & capite auro & argento decorato trans-  
tulit ad Ecclesiam Pragensem maximo honore, & omni solemnitate.  
Item Carolus Imperator obtinuit à fratre suo Nicolao Patriarcha  
Aquilensi Librum Evangeliorum S. Marci, quem ipse propriâ  
manu scripsit, & eundem librum auro & gemmis pretiosissimis orna-  
tum donavit Ecclesie Pragensi. 4. Cal. Maij S. Protasij, cujus Re-  
liquias Ravennâ attulit ad Ecclesiam Pragensem. 3. Cal. Maij S. Pe-  
tri Martyris Ord. Predicatorum Reliquias Mediolano transtulit.

MAIUS. 1. die S. Philippi Caput dedit Ecclesie Pragensi.  
Eodem die S. Sigismundi Regis Burgundiæ corpus, quod Agauni in  
Dioecesi Sedunensi magnis precibus & muneribus impetravit, &  
inde ad Ecclesiam Pragensem transtulit sub A. D. M. CCC. LXV.  
qui sanctus in Ecclesia Pragensi sepultus, maximis & innumerabi-  
libus claruit miraculis, ita ut ad ejus tumulum Pragam concursus  
fieret de omnibus mundi partibus, fieretque Patronus Regni Bo-  
hemie. Ejus caput Elizabeth Conjux Caroli Imperatoris circum-  
dedit auro purissimo, & ornavit gemmis pretiosis. 5. Nonas Maij  
duas partes sacris magnas S. Crucis: primam videlicet Crucem bi-  
partitam ex monasterio Parisiensi, & secundam partem ex Ecclesia  
Trevirensi magnis precibus obtentam, pro thesauro Ecclesie Pra-  
gensis donavit. 4. Non. Maij Caput S. Antonie Virginis & Mar-  
tyris. Pridie Nonas S. Joannis Evangelistæ partem tunica, in qua  
ipse tres mortuos suscitârat. 6. Idus SS. Gordiani & Epimachi Re-  
liquias donavit. Pridie Idus S. Victoris Martyris brachium & caput.  
Eadem die S. Coronæ Martyris, & Uxoris cujusdam Militis, quo-  
rum corpora sunt etiam in tumba S. Viti, quæ & Stephana voca-  
batur, puella 16. annorum. 8. Cal. Junij S. Urbani Papæ & Mar-  
tyris

A\*

tyris



tyris caput, & magnam corporis partem, quam in Diocesi Argentinensi ex monasterio Monialium S. Benedicti acquiserat.

JUNIUS. 6. Idus S. Medardi Episcopi brachium è Gallia apportatum est. 17. Cal. Julij S. Wenceslaus brachium S. Viti attulerat, Carolus IV. totum S. Viti Corpus ex Papia Lombardiæ Civitate attulit, & in Tumba marmorea condidit post altare, caput verò auro & argento decoravit. Eodem die donavit Ecclesie de Reliquijs S. Modesti Martyris. 16. Cal. Julij Aurencini Archiepiscopi Moguntini partem brachij, quam in monasterio S. Albani Moguntia obtinuit, uti & Caput S. Justinæ Martyris ejusdem S. Aurencini sororis in eodem monasterio impetratum. 11. Cal. Julij magnam partem Corporis S. Albani Martyris ibidem acquisitum. 8. Cal. Julij de S. Joannis Baptistæ Reliquijs seu ossibus. 3. Cal. Julij, de baculo S. Pauli Apostoli ex Monasterio suo Romæ recepit, & donavit, cum quo baculo officiante Archiepiscopo solet Subdiaconus sibi concelebrare. Item partem barbæ S. Petri Apostoli.

JULIUS. 4. Nonas Caput & brachium S. Udalrici Episcopi Augustani impetratum in Ecclesia Augustensi. Item brachium S. Procopij Patroni Regni Bohemia. 5. Idus Julij integrum corpus S. Januarij, quod obtinuit in Monasterio Auge majoris Ordinis S. Benedicti, cum tumba auro & argento decorata donavit. 4. Idus brachium S. Hermagoræ primi Aquilegensis Episcopi Discipuli S. Marci, ibidem impetratum. 11. Cal. Augusti Reliquias S. Mariæ Magdalenæ, quas obtinuit Arelati. 8. Cal. Augusti, S. Annæ Matris Mariæ digitum cum carne, quem Romæ impetraverat in monasterio S. Pauli. 4. Cal. Augusti, Reliquias S. Marthæ Virginis, quas impetravit in Marsilia.

Anulum Manipularem sine dubio.

AUGUSTUS. 1. partem Cathenæ S. Petri Apostoli, quâ vinculus fuerat, quam obtinuit Aquisgrani, & faciens de eadem anulum Archiepiscopalem auro & argento pretiosè ornatum donavit Pragensi Ecclesie. 8. Idus Sixti Pape partem capitis cum cute, quæ in monasterio Stabulensi Leodiensis Diocesis obtinuit. 5. Idus S. Romani Martyris Caput acquisitum Luca in Thuscia. 4. Idus S. Laurentij Martyris brachium, quod obtinuit Romæ in ipsius monasterio Fridie Idus S. Hilariæ



C. XIII. ARN. HÆRES. PELLIT: SS. REL. HONORAT. 189  
lariæ Martyris, & Marris S. Afræ, quod obtinuit *Augusta* in monasterio S. *Vdalrici*; In eodem capite idem Imperator recondidit Reliquias S. *Narcissi* Episcopi & Martyris, qui S. *Afram* convertit. Item S. *Claræ* Virginis digitum in *Monstrantia*, quem acquisiverat à *Matre* sua *Elisabetha* Regina *Bohemie*. 19. Calend. Septembr. S. *Demetrii* Reliquias à *Wenceslao* *Bohem. Rege*, qui in *Olomucz* occisus est, habet *Ecclesia* *Pragensis*, quas *Rex* de *Vngaria* secum attulerat. Eodem die magnam partem corporis S. *Fortunatæ*, cum tribus corporibus Fratrum ejusdem Virginis Martyrum *Ciracrispi*, *Carponij* & *Prisciani*, qui omnes in eadem tumba auro & argento decoratâ in *Ecclesia* *Pragensi* quiescunt; quæ corpora obtinuit in *Monasterio* *Auge* majoris S. *Benedicti*. 18. Cal. Septembr. *Beatissima* Virginis *MARIÆ* duplex Peplum, alterum cruentatum Christi sanguine, alterum non cruentatum, quod est insutum panno albo; id verò obtinuit *Carolus Imp. Treviris* in *Monasterio* S. *Maximini*, ubi illud S. *Helena* de *Hierosolyma* allatum recondidit; impetravitq; à *Sede Apostolica* Imperator, ut quando ipsum peplum de septennio in septennium ostenditur, singulis diebus ostensionis sint *Indulgentiæ* trium annorum, & trium quadragenarum, donavitque illud *Ecclesiæ* *Pragensi*. 13. Cal. Sept. Pectorale S. *Stephani* Regis *Ungariæ*, quod obtinuit à *Ludovico* *Vngariæ Rege*, in quo etiam recondita sunt Reliquia, videlicet de *Ligno Domini*, & digitus S. *Stephani* *Protomartyris*. 9. Cal. Sept. S. *Bartholomæi* Apostoli magnam partem capitis, & alias ejus Reliquias, quas obtinuit *Constantia* in *Monasterio* S. *Gebhardi*. Eodem die allatum est ad *Ecclesiam* *Pragensem* corpus S. *Adalberti* Episcopi *Pragensis* cum corporibus quinq; Fratrum Martyrum, & *VEN: Gaudentij* Episcopi *Gneznensis* fratris *Germani* S. *Adalberti* per *Brzetislaum* *Ducem* *Bohemie*, & S. *Severum* Episcopum *Pragensem*. 5. Calend. Sept. de Reliquijs & brachio S. *Hermetis* Martyris, quod obtinuit *Aquisgrani* apud S. *Adalbertum*.

SEPTEMBER. Calendis S. *Longini* Martyris Caput cum brachio, quod obtinuit *Mantua* in *Monasterio* S. *Andrea*. 6. Idus Sept. *Sacratissima* Virginis *MARIÆ* *Imaginem*, cum tabula conti-



190 DE VITA VENERABILIS ARNESTI LIB. II.  
nente Reliquias de Praesepi, & de fascia & pannis, quibus Dominus, &  
Salvator noster in canabulis involutus fuit, obtinuit Moguntia in  
Monasterio S. Albani, & decoratam auro & argento Ecclesia Pra-  
genfi donavit. 16. Calend. Octobr. S. Euphemiae Virginis & Mar-  
tyris brachium integrum cum cute & articulis omnibus donavit. Eo-  
dem die S. Gemiani Martyris brachium, quod obtinuerat in civita-  
te Mathina Ravennae Provincia. 11. Cal. Octob. Reliquias S. Mat-  
thaei Apostoli & Evangelista, videlicet Imaginem magnam tenentem  
Costam ejusdem Sancti in manibus, quas invenit pissimus Princeps  
Carolus, Ecclesiaeq. donavit. 10. Calend. S. Mauricij Ducis & Mar-  
tyris brachium & gladium de Meaiolano attulit ad Pragensem Ec-  
clesiam Wladislaus II. Rex Bohemia. 8. Cal. Octobr. S. Malufij  
caput, & S. Cassij & S. Florentij brachia, Martyrum de legione  
Thebeorum Carolus Imp. obtinuit in Bonna super Rheno Colo-  
nienfis Diocesis, & donavit. 4. Cal. Octobris, Corpus S. Martyris  
Wencellai Boleslavia in Ecclesiam Pragensem translatum.

OCTOBER. 6. Nonas Octobr. Caput S. Leodegarij Epi-  
scopi & Martyris, quod obtinuit in Monasterio Gerbil Diocesis Basi-  
liensis. Nonis Octobr. SS. Sergij & Bacchi Martyrum, magnam  
corporum partem, quae obtinuit in Diocesi Argentinenfi, & tumba  
auro & argento decorata donavit Ecclesia. 7. Idus sanctissimi Patri-  
archae Abrahamae Reliquias cum Reliquijs sanctissimorum Isaac & Ja-  
cob Patriarcharum obtinuit Clementissimus Princeps Carolus IV.  
ab Imperatore Constantinopolis, & decoratas auro & argento in  
forma parvae tabellae donavit Ecclesiae Pragensi. Eodem die S. Dio-  
nysij Areopagita brachium obtinuit Parisijs, & auro & argento or-  
natum donavit. 17. Cal. Nov. S. Galli Abb. caput & brachium,  
quod obtinuit in Monasterio suo ubi requiescit. 16. Cal. Novembr.  
S. Florentij Episcopi Argentinenfis mandibulam cum brachio, & ma-  
gnâ parte corporis, quae obtinuit in Monasterio Hasloch Argentinenfis  
Diocesis, & tumbam ejus ornatam auro & argento Ecclesia Pragensi  
donavit. 15. Cal. Novembr. Caput S. Lucae Evangelistae, quod ob-  
tinuit Paduae in Monasterio S. Iustina, ornatumq. auro & argento de-  
dit. 12. Cal. Novembr. Corpus integrum S. Sapientiae Virginis &  
Mar-



Martyris ex societate S. Ursulæ, quæ Colonia Agrippina obtinuit, & caput ejus atq; turribam auro & argento ornatam donavit Ecclesia Pragensis. Sed & in eadem ecclesia sunt plura earundem sanctarum Virginum capita, & Reliquiæ licet non decorata.

NOVEMBER. 8. Idus Novembris S. Leonardi Confessoris caput, quod obtinuit in Francia auro & argento ornatum donavit. 5. Idus S. Theodori brachium & Reliquias, quas obtinuit in Bambergensi Ecclesia. 4. Idus S. Ludmillæ Martyris brachium in auro & argento habet Pragensis Ecclesia; corpus verò reliquum est apud S. Georgium. 16. Cal. Decembris S. Ottmari Abbatis & Confessoris caput, quod in Monasterio S. Galli Constantiensis Diœcesis obtinuit. 9. Cal. Decembr. Catenam ferream S. Clementis Pape & Martyris, quæ idem Sanctus in mari submersus est. Hanc Roma in Ecclesia S. Clementis obtinuit, & ob reverentiam S. Clementis Ecclesie Pragensi donavit. Pridie Calendas Decembr. S. Andreae Apostoli, cujus Reliquiæ decorata auro & argento habentur in Ecclesia Pragensi, & celebratur festum cum Octava.

DECEMBER. Idibus digitum S. Lucie Virginis & Martyris in Monstrantia Crystallina Carolus Imperator Ecclesia Pragensi donavit, quem à Regina Bohemia Elisabetha Matre sua acceperat. Item S. Octiliæ Virginis brachium, quod in Hedenbarth Monasterio Argentinenfis Diœcesis impetrarat; in quo etiam brachio inclusit Reliquias S. Erhardi Episcopi Ratisbonensis, qui ipsam S. Octiliam vitam natam baptizaverat; quas Reliquias idem Imperator Ratisbona ex Monasterio inferiore acquisivit. 16. Calendas Januarij, S. Lazari, quem D. DEVS in Evangelio legitur à mortuis suscitasse, Brachium cum magna corporis parte ornatam donavit Ecclesia Pragensi, quod obtinuit in Monasterio Andelaw Basiliensis Diœcesis. 7. Cal. Januarij Caput S. Stephani Protomartyris, quod obtinuit Roma in Monasterio S. Pauli; articulum quoq; ejusdem S. Martyris, quem obtinuit à Rege Ungarie. 6. Cal. Januar. ex Innocentibus in Bethleem brachium unum cum cute & digitis in Monstrantia crystallina, quæ obtinuit Trevis in Monasterio Monialium. Pridie Calendas Januarij S. Sophiæ Reliquias, quas obtinuit



in Monasterio Orbamensi. Item S. Iustini Martyris Antistodrensis Reliquias, quas idem Imp. Carolus precibus infimis obtinuit in Monasterio Corwama. Item S. Kiliani Iipfana, quæ obtinuit in civitate Nürembergensi, Diœcesis Bambergensis, & decoratas auro & argento donavit Ecclesiæ suæ Pragensi.

Hucusq; ex Martyrologio S. Ecclesiæ Pragensis excerpta de Sanctorum Reliquiis.

Arnestus Boleslaviensem Caroli Foundationem confirmat; notissimum Bohemis ad S. Wenceslaum Martyrem hymnum componit; author est novarum nuptiarum Carolo; Romam proficiscitur; grave periculum in reditu à Gambacurtis subit.

## CAPUT XIV.

Arnestus S.  
Martyris  
Wenceslai  
studiosissimus,  
Vide supra l. 1. c. 12.  
& l. 2. c. 6.

Maget A. 1351.

**C**arolus Romanorum Rex nullum faciebat finem Pietatis, Arnesto curas Principis moderante, & ad quendam operum æternitatem incitante. Miraculis ad D. Wenceslai Sacrum Tumulum in dies crescentibus, venit utriusque in mentem, Boleslaviam veterem, in qua Civitate fraternam manu Princeps sanctus ceciderat, eoque ipso in loco, qui sanguinem Martyris fluentem vulneribus exceperat, perpetuum & opimum sacerdotium, sacrificio quotidie cum cantu Musico peragendo, fundare; eam foundationem Arnestus litteris suis, quibus latè in S. Wenceslai laudes excurrit, ad perpetuam rei memoriam confirmavit.



firmavit; additum est Corollarium Civitatis honori, ut novis mœnibus ad gratiam cingeretur. Erat *Arnestus*, ut antè narravi, *S. Wenceslao* deditissimus; itaque ad eum honorandum nobilem illum, & totâ Bohemiâ decantatum hymnum (ut *Cuthenus* historicus Hageko vetustior, testatur) cujus initium est: *Sancte Wenceslæe*, à se compositum, in vulgus Bohemicum Musicæ amantissimum aptissimumque sparfit, & Indulgentijs quadraginta dierum, oblati populum ad discendum invitavit. Hujus hymni maximus hodièque per Bohemiam usus est, eumque quasi uno ore canit *vetus Bohemia*. Scimus Ferdinandum III. Aug. memoriæ Musicæ peritissimum, & amantissimum Principem, hâc cantione mirificè oblectari solitum, sæpe laudasse eos, quibus conceptus est hymnus modulos, licet à sæculi nostri auribus multùm alienos! Hymnus ipse ex Bohemico translatus, sed amissâ totâ, ut fit gentili gratiâ, sic habet:

*Sancte Wenceslæe*

*O Dux terre Bohemæ!*

*Princeps Noster! ora DEVM, Spiritum Sanctum!*

*Kyrie eleison.*

*Aula Cæli pulchra est!*

*Beatus, qui ingressus est!*

*Vitam æternam, ignem lucentem, Spiritum Sanctum,*

*Christe eleison.*

(videbit)

*Opem tuam invocamus,*

*Tu nostri miserere!*

*Mæstos solare, mala cuncta pelle, S. Wenceslæe!*

*Kyrie eleison!*

Plures hodie versus sunt, sed eos Catholici postea, Hussiticis temporibus, adjecerunt, quibus nè Bohemia tot hostibus cincta periret, orabant, & orant etiamnum. Vide mihi verò, quàm paucis verbis, omnem antiquæ Pietatis dulcèmq; illum sensum *Arnestus* expresserit! Sub hæc tempora *Tachoviensi* Monasterio *Carmelitanis* Patribus, & *Carloviensi* Pragæ *Canonicis S. Augustini Regularibus* inductis, initium datum, *Arnesto* suo more præsentè, & priipum lapidem consecrante.

Anno

*l. s. C. 13. 6*  
*l. s. C. 1.*

Hymnus de  
S. VVence-  
slao perbre-  
vis, sed dul-  
cedine plo-  
nissimus.

*Wegwode.*

*Dvorstov.*

*Hagek A. 1552.*



Hagek A. 1351.

Augustinus  
Moravus in  
Ioanne Episcopo  
Olomucensi 23.  
& 24.Pontanus in  
Ioanne Archi-  
episcopo.Ioannes de  
Wlasyum æ-  
mulus Arne-  
sti virtutum.Dubrav. l. 22.  
hist. Bohem.Alij, ut Ha-  
gek & Cromer-  
us Bernardi  
filiam. Vide  
Henelium in  
Silesiogr. C. 7.  
Schickfus. An-  
nal. Siles. l. 1.  
C. 32.Arnestus Ro-  
mam profi-  
citur ad  
Caroli coro-  
nationem  
Romanam.Historia Sed-  
lecensis f. 29.  
Genebrardus  
Onuphr. Cia-  
cion. in Vitis  
Pontificum.Reynald. in  
Annal. Eccl.  
A. 1354. N. 5.

Anno sequenti 1351. *Ioannes* Episcopus Olomucensis *Wenceslai* Bohemæ Regis filius excessit è vita, conditus in Parthenone Pustimirzensi, quem *S. Scholastica* Virginibus excitarat. Illustris sanguine, & Religione Pontifex; in ejus locum *Ioannes Occko de Wlasyum* Regi Carolo à Secretis ascendit, ab *Arnesto* in Templo S. Viti in Episcopum consecratus, fuit hic *Iannes Arnesti* virtutum æmulus, ac deinde in dignitate Archiepiscopali successor, & *Cardinalis*, cui *DEI* Mater visendam se aliquando præbuit amabili vultu, ejusque merita dilaudavit.

Anno 1353. *Carolus* Rex Romanorum, & Bohemæ, *Viduus* (nam *Anna* Palatini ad Rhenum filia, superiore anno obierat) *Arnesti Archiepiscopi* (ut *Dubravius* loquitur) auspicijs, tertiam Conjugem eidem *Annam*, *Henrici Suidnicensis* Principis filiam ducit, quibus nuptijs omne bellorum in Silesia semen extinctum, & Principatus ille Regno Bohemæ in perpetuum est adjunctus.

Secuta est A. 1354. *Arnesti* cum *Carolo* *Romam* profectio, nam is ad Coronas Imperij omnes capellandas animum adjece- rat: Rex Romanorum electus quidem, & *Bonna* coronatus erat, sed restabat *ferrea* *Mediolanensis*, *auræa* *Romana* (res illis sæculis magnâ semper ambitione *Cæsarum* quæsitæ) suspicio est ex vetusto Codice M. S. concepta, *Arnestum* in Legatione *Avenionem* præmissum *Caroli* consilium Pontifici aperuisse, ab eoque corona- tionem impetrâsse. Jam enim *Aula* Pontificis nonnullam muta- tionem subierat: *Clemente VI.* professo illo Bohemorum Patre sanctissimè mortuo, cui superiore anno successus est *Innocentius VI.* qui etsi *Carolo* studere videbatur, non tamen studia Pontificis prio- ris æquabat. Ergo instructo ex Germanis, Bohemis, Moravisque exercitu, dissimulato consilio, quasi in bellum proficisceretur *Ca- rolus*, autumno anni 1354: in *Bavariam* primùm, mox longiùs in *Lombardiam*, ipsùmque *Mediolanum* pervenit. Magnum *Carolus* ex Imperio terrisque suis Procerum numerum trahebat; hos inter *Arnestus* à Principis latere nusquam discedens. Illud permirum: cum tantis ad eam profectionem pecunijs *Rex Roma- nus* egeret, non permisuisse, & sollicitasse *Regna*, sed contentum

Impe-



Imperij, quod offerebatur, viatico, de suo reliquum addidisse, tantoque silentio è Bohemia abiisse, ut multos fefellerit. Ex ijs *Pragenses*, cum serò tandem ad *Coronationem* Regem abiisse intellexissent, nè postremi in officio viderentur, subito Cataphractos centum Equos, & Equites, sagulis è serico splendentibus superbè ornatos, ac (nè *Cæsari* graves essent) de suo semper victuros in *Italiam* usque miserunt. Civitatis universæ officium privatus homo, quod mirère, superavit: *Nicolaus* quidam à *Rubro Leone Civis Pragensis* Regi suo centum & viginti cataphractos ad belli usum & Pacis decus, pulcherrimè armatos & instructos, itidem suo are victuros, *Mediolanum* adduxit. Longum esset, ac fortassis extra propositum, reliqua memorare, brevissimè absolvam: Trium Sanctissimorum Regum die, *Carolus* à *Mediolanensi* Archiepiscopo ferreà coronâ, magnâ certantis populi lætitiâ *Rex Romanorum*, apud *Ambrosianos* salutatur; deinde *Pisas* transijt, atque in agro *Parmensi* (ubi Collegiatam Ecclesiam sub Archiepiscopi *Pragensis* jurisdictione fundavit) aliquantum confedit. Jam *Romam* ad præstitutum *Coronationis* tempus *Carolus* vocabatur, raptòq; exercitu contendebat ad Urbem, multoque occursum Procerum Romanorum cœperat adorari. Accedit *Arnestus*, petitòque secreto: adfero, inquit, consilium *Rex* optime, quò ut nunc humanitate tuâ homines, sic humilitate *DEUM* & *Calites* capere possis, atq; in brevi *Imperator Romanorum* Coronam gemmeam, & auream, sic in cælo stellis, aternâq; gloriâ illustratam obtineas, & Regnum utrumq; tibi confirmes; verissimè enim divino ore dictum est: qui se humiliat exaltabitur. Vtrumne *Rex* piissime non occursum animo, supremâ hanc *Christo* patienti hebdomadam esse, quâ ipse bajulans sibi crucem summo & dolore & contemptu exijt in eum, qui dicitur *Calvaria* locum? & his tu diebus, hâc gloriâ, hoc exercitu, hâc pompâ *Christum* ad crucem properantem imitabere? Velut fulmine ictus *Carolus*, jubet statim exercitum consistere, & castris locatis quiescere; ipse vitatis obvijs ex conspectu amittitur, & cum *Arnesto* suo, paucisque comitibus, peregrinorum habitu indutus, *Romam* ingreditur. Tantùm una *Arnesti* vox apud *Carolum* potuit! triduo præpè per summam

Amor Pra-  
gensis Urbis  
erga Regem  
suum.

Mediolanè  
Carolus co-  
ronatur.

Raynald. To.  
XVI.

Anno 1355.  
Rebdorff. in  
Annal.

Alb. Argent.  
in Chronolog.  
Hagek & alij  
Boh. historic.

Carolus Ar-  
nesti confi-  
lio memora-  
bile Christi-  
anæ Virtutis  
facinus edit.  
& Christum  
Crucè bajul-  
antem Ro-  
mæ imitatur

Raynaldus  
magno comi-  
tatu sacra  
loca visitasse  
scripsit.



Coronatio  
Romana Ca-  
puli IV.

Hagek Sabbato  
sancto in-  
gressum in Ur-  
bem narrat, a-  
lij die Pascha-  
tus ut Raynald.  
et plurims alij  
eod. ca citati  
A. 335. N. 3.  
Hagek. l. cit.

Periculum  
grave Caro-  
li & Arnesti  
in Vrbe Pisis.

Dubrav. l. 22.  
hist. Bohem.

l. 2. c. 10. in  
fine.

Incendium à  
conjuratis  
in Caesaris  
hospitio ex-  
sitatum.

humilitatem exacto, Sanctorum Templis omnibus, eorumque sacris corporibus, ac praesertim sepulchris ( quae per id tempus Christo Domino Christiana Pietas exstruit ) viscatis, magnà vi lacrymarum profusâ, tam humili vultu, ut neque à suis Bohemis, ut narrat Hagecius, agnosceretur, ad exercitum redit, & sacro Paschatis die summâ pompâ & gloriâ in Urbem ingreditur. Coronatio celebrata, in qua Arnesti vexillum Equus dimidius, cum vexillis caeterorum Imperij & Bohemiae Procerum, portabatur. Omitto alia ab historicis pridem commemorata, quae vix ad Arnestum ( nisi quod is consilio Caesarem regebat ) possunt pertinere. Etiam illud omissem libenter ( quod sequitur ) nisi Casari structae insidiae ad Arnestum quoque pervenissent, & forsitan Pij Praefulis precibus, ac pietate periculum Caesar evasit; nè narratio longa sit, Dubravij Episcopi verba adducam: *Carolus Roma coronatus, Pontificis auctoritate ( quae Ursinorum, & Columnensium factionibus prostrata jacebat ) denuo stabilita, & Romanis quibusdam, qui mutare Dominos cupiebant, stratagemate ( quod antè narraveram ) elusis & domitis, copias omnes, pauculis Bohemis & Moravis recensis, dimittit. Magnis statim precibus à Francisco, cui Gambascorta nomen ex familia Pisanorum validissima, rogatur, ut Pisas, ad diverticulum sibi notum, & nuper haud ingratum, divertat. Nihil mali suspiciens remeat, & in domo Praetoria publico hospitio accipitur; cum summâ eorum, qui cum Francisco conspiraverant, perfidiâ ( quâ mox ad opprimendum Caesarem hospitem usi sunt ) primo ignem multâ nocte Praetorio subderunt, cujus magnitudine propè fuit, ut Caesar cum Anna Coniuge ambureretur; opportunè regiae custodia assueti, ambos penè seminudos subductos in altum securiorum deduxerunt. Nocturnâ fraude non succedente, postea statim luce palam cum armatis in forum descendunt, & ad popularem tumultum concitandum exclamant: Caesarem non ut hospitem, sed ut manifestum incendiarium Urbem subijisse, ut illam combustam Florentinis hostibus tradat, si ipsi tempus tradendi illum non acceperint. Disclusis ponte fluminis hospitij Bohemi & Moravi, qui cum Caesare venerant, tenebantur, eaque res longè maximam dimicatio-*

nem



nem attulit, dum Pisani transitum Pontis Bojemis prohibere, & illi vicissim illum vi superare conantur, ut Domino & Regi suo obsidione in hospitio Joannis Episcopi Olomucensis (quò Arnestus quoque Archiepiscopus confugerat) laboranti succurrant. Pro Pisanis multitudo erat, sed incomposita & inordinata; at Bobemis quantum de numero detrahebatur, tantum animi virtus, nobilitasque & usus militia supplebat (major enim illorum pars ex Proceribus, & Equestri Ordine constabat) equestri denique procellâ victoria parva est, Pisanorum multo sanguine ex utraque parte cadentium, antequam Franciscus caperetur, & eo capto, ceteri per tecta & Tempia dissiparentur, vetante Casare dissipatos insequi, sed confestim Franciscus torqueri jussu, ut conscios ederet, atque auctores tanti sceleris proderet. Auctores Florentinos nominavit, ac satis multos conscios; sed de sex tantum Gambacurtis supplicium sumtum, reliquis vita condonata non gratuita, sed pro auro presenti, ex quo militibus donativum distribuit, cum antea Czenkenem Lippensem, Henricum Hradecensem, seu de Nova Domo, Benedictum Colovratum, Proceres Bobemos, mox item Moravos Zdenkonem, & Benedictum Lomnicos, Smilonem Dubravicum, Vilhelmum Gemnicium, baltheo militari cinxisset, torquibusque aureis adornasset.

Hæc Dubravius. Sed multò diligentius eam conjurationem Pisanorum describit Hagecius, nuperque æri incisam Praga vidimus, in quo tumultu SS. Virgo & Martyr Catharina, perpetua Cæsaris Caroli Patrona, coelitus opem tulit, quam spectabilem stare ante se, & gladium mirâ ferri luce vibrantem, atque illi præcipuè ex conjuratis sese opponentem, qui ipsum Cæsarem interficiendum susceperat, vidit; rem, ut gesta est, ipse Carolus gratè referre solebat, eaque de causa decreto sanxit Arnestus, ut ea dies ob Regem servatum, totâ Bohemiâ celebraretur, quod ad hoc tempus religiose præstatur.

Redijt salvis omnibus suis Casar, unâque Archiepiscopus, cui sacrarum Reliquiarum curam hoc itinere demandarat Imperator. Vehebat enim in Bohemiam magnifico in curru S. Viti corpus, quod per Legatum Arnesti Fratrem germanum, Bohuslaum

Cæsar cum Arnesto & Joanne Episcopo Olomucensi Pisis obsidetur.

Hagek A. 1359.

S. Catharina Cæsarem in hoc periculo protexit.

Festus dies ab Arnesto statutus, quo die periculum Cæsar evasit videl. festum S. Catharinæ

S. Viti corpus ab Arnesti fratre Pragæ allatum.



Cæsar grati-  
se S. Catha-  
rinæ exhi-  
bet. Vide in-  
frà de Caroli  
arce, & S. Ca-  
tharina sacra-  
rio hoc l. C. 17.

*Litomericensens* Præpositum à Papiensibus impetrarat. Quanto honore sacrum *S. Martyris* corpus Ecclesiæ Pragensi sit illatum, quantâque gloriâ *Cæsar* novâ dignitate auctus, & Bohemis gratissimus Princeps, exceptus sit, ad historiam *Arnesti* non facit, & ab *Hageko* narratum est. Non multi abierant dies: *S. Catharina* Templum, addito Virginum *Ordinis S. Augustini* Cœnobio, jubet *Cæsar* inchoari; primum ipse cum *Arnesto* lapidem in tam sanctum opus jecit, brevique multitudine & diligentia operarum, & Templum, & Cœnobium stetit.

## Notæ in Caput XIV.

Boleslavia  
Centrum &  
umbilicus  
Bohemie,

**B**oleslaviam Veterem. *Hanc civitatem umbilicum esse Bohemia, & cum figurâ circulari sit Bohemia, Centri vicem obtinere, Stransky affirmat. Dederit id fortasse loco natali, nam Zapæ non ita Boleslaviâ procul natus est, quem pagum & domum natalem non ignobilis historici nuper accessi. Quanquam etiam auctoritate tueri se Stranskyus potest: ostenditur hodieq, a senibus Boleslaviæ Veteris fossa propè Templum S. Wenceslai sita, quam centrum Bohemie veteres appellarunt. Hinc arguari licet, Beatissimam DEI Matrem Boleslaviensem & S. Wenceslaum, Centrum Bohemie occupasse, & ad eorum gloriam totam Bohemia Pietatem referri debere.*

An Arnestus  
Hymni de  
S. Wences-  
lao sit au-  
thor.

Cæthenus Ha-  
gecio vetustior  
historicus Ar-  
nestum hujus  
Hymni nomi-  
navit autho-  
rem.

**Hymnum Arnestum scripsisse.** Scio Wenceslaum Hagecium, hujus Hymni authorem, non Arnestum, sed successorem ejus Joannem nominasse. Sed apud me hoc loco Hagecij fides vacillat, tum quòd ille in Arnesti rebus notandis negligentius versatus est (ut deinde clarissime ostendam) tum quòd plura alia, qua Arnesto tribuenda erant, eidem Joanni adscripsit, tum deniq, quòd Cæthenus diligentissimus, & vetustior historicus, cum alia propè omnia de Arnesto praterierit, unum illud quasi certissimum in ejus obitu narraverit. Rem in medio relinquo: potuit Hymnum ab Arnesto compositum successor ejus propositis pramijs evulgare, atq, ita concilia-  
buntur



buntur historici. Sed Ferdinandum III. ut dixi, non semel observavimus, cum is hymnus in Ecclesia Pragenſi caneretur, proferre caput e Regia illa ſua ſede, approbantem capite, laudantem, atq; etiam, quantum vulgus videre poterat, cantum adjuvantem. Regum etiam minima actiones diligenter notantur, & populus mille oculos habere cupit, ut cor Regis poſſit intueri. Tam charus verò Bohemis hodièq; hic, de quo loquimur, hymnus eſt, ut ad eum quotidie in Templo canendum, perpetuis cenſibus quibusdam in Templis Muſicos antiquitas obligarit.

### Vulgus Bohemorum Muſicæ addictiſſimū.

Cantibus Bohemiz populus mirificè capitur.

Id hodièq; videmus & audimus. Majores noſtri etiam praelia cum cantu inchoabant, illo ſcilicet quem S. Adalbertus composuerat: Hoſpodjne pomilug ny r̄. Cantuum Eccleſiaſticorum venuſtate, & textus ipſius ſanctitate, multas gentes provocare poſſumus. Nimirum ex SS. Patribus, ut facile eſt intelligere, à ſanctis Bohemiæ Epiſcopis & Archiepiſcopis, ac præcipuè à Canonicis Eccleſia Pragenſis pleniſq; contexti, & compoſiti ſunt. Nuper cum Bibliothecam quandam Manuſcriptorum excuterem, inveni librum Proſarum, & Cantuum Eccleſiæ Pragenſis, antiquiſſimo ſcriptura genere exaratum, in quo latina primum Proſæ, cum notis Muſicis, deinde etiam Bohemica leguntur, eodem proſus Tono, & Melodiâ, quâ hodie utimur, eodè contextu, iſdemq; ſententijs, niſi quòd Bohemica clariora & ſignificantiora ſunt, & pluribus verſibus conſtant. Citantur aliquando in marginibus SS. PP. unde cantus decerpti ſunt, ut S. Gregorius & Bernardus. Inter illos gratiſſimi illi vulgi auribus cantus leguntur. Naſtal nám Den weſelſ. Angelowé gſau ſpivoli. Oméno Boſſi meliké. Narodil ſe Kr̄ſtus Pán. Na Boſſi Narodeni. Co tu ſtoe gite. In dolci Jubilo. Wſtalt geſtřeto Echvile. Plurèſq; alij ex Proſis ferè & Sequentijs, ut tum vocabant, Eccleſiæ Pragenſis conſecti.

**Joannes de Wlaſſim.** Dignus hic Praſul, qui poſt Arneſtum nominetur. Certè omnes honores, quos Arneſto deſtinarat Pontifex, eo mortuo ſuper Joannem deniq; ceciderunt. Vitam ejus laudatiſſimam Auguſtinus Moravus, & Pontanus breviter deſcripſerunt.

B b 3 Arac-



Arnestum Avenionem præmissum. *Inveni*

*ms.* *msper* (quod in magna felicitatis parte repono) inter veteris bibliothecæ quisquilias, Fidei publicæ litteras, (ut nunc vocamus, saluum conductum) quas Carolus Cæsar Arnesto suo per Germaniam proficiscenti hoc ipso tempore dedit, ex quibus Arnesti in Galliam legatio confirmatur; eas in antiquitatis honorem, nè verbo immutato, recitare placet.

Karolus IV. Divinâ favente  
clementiâ Romanorum Rex semper  
Augustus; & Bohemiæ Rex.

**Q**uia Venerabilem Arnestum, sanctæ Pragensis Ecclesiæ Archiepiscopum, Principem, Consiliarium, & devotum nostrum dilectum, in arduis legationibus & negotijs, Nostrum, & Sacri Rom: Imperij honorem concernentibus, deliberato & provido præcedente consilio, dirigimus in præsentem. Idcirco devotionem Tuam affectuosè requirimus & hortamur, quatenus supradicto Nostro Principi, & ejus Comitivæ, tam in securitate conductûs, quàm in alijs, quæ desideraverit ad Nostrum & Sacri Imperij honorem præcipuum, benevolam velitis & debeatis ostendere voluntatem. Datum Pragæ, Regnorum nostrorum Anno septimo, die 13. Mensis Maij.

Hacten-



*Hactenus M. S. Satis scio, septimum Caroli annum non in annum 1354. quo Roma coronatus est, incidere, sed nimirum longè ante Arnestus ad coronationem Romanam Carolo impetrandam Avenionem abiit, jamq; negotium feliciter confectum erat, nisi Clementis obitus abruptisset omnia, cujus in locum subrogatum Innocentium IV. iteratà legatione à Carolo salutari oportuit; missus est Orator Avenionem pro Carolo Theodoricus Episcopus Misnensis, qui quod à Clemente per Arnestum super postulârat. Carolus, ab Innocentio impetravit, qua de re sunt Innocentij litteræ.*

**In agro Parmensi.** *In villa Terentij in honorem B. Virginis MARIÆ Collegiatam Ecclesiam insignem Carolus erexit, magnificentè dotavit, cujus Ecclesiæ Patronus est præcentor Ecclesiæ Pragensis, quemadmodum ejusdem Caroli litteræ testantur, quas nos, ait Pius II. Pontifex: vidimus, legimusque. Hagedius ait: S. Augustini Canonicis erectum Cœnobium. Hæc Fundationi nobilissime causam dedit Visio in ea Villa Carolo oblata, admirabilis ærte, quam ejus ipsius verbis, quia alibi non legitur, & divina Iustitiâ singulare continet exemplum, hic referam. Pervenimus in villam nomine Tarunso Parmensis Diœcesis, in die Dominica, in qua erat dies Assumptionis S. MARIÆ Virginis. Illâ verò nocte cum nos sopor invaderet, apparuit nobis quædam visio; quoniam Angelus Domini astitit, juxta nos in parte sinistra, ubi jacebamus, & percussit nos in latere dicens: Surge, & veni nobiscum! Nos autem respondimus in spiritu: Domine, nec scio quò, nec quomodo vobiscum eam. Et accipiens nos per capillos anterioris partis capitis, exportavit nos secum in aërem, usque super magnam aciem armatorum Equitum, qui stabant ante unum castrum, parati ad prælium. Et tenebat nos in aëre super aciem, & dixit nobis: respice & vide. Et ecce alter Angelus descendens de Cœlo, habens igneum gladium in manu, percussit unum in media acie, & abscidit sibi membrum genitale eodem gladio, & ille, tanquam lethali- ter vulneratus, agonizabat, equo insidens: Tunc tenens nos per capillos Angelus dixit: Agnoscis illum, qui percussus est ab An- gelo,*

*Pius II. fecit  
Æneas Silvius,  
c. 33. histor.  
Bobens.*

*Origo Colle-  
giatæ Eccle-  
siæ in Italia  
in villa Te-  
rentij.*

*Carolus IV.  
Imp. in Vita  
sua. ex edit.  
Hanovienf.*

*Visio Caroli  
IV.*



Pro luxu-  
riosis Princi-  
pis.

gelo, & vulneratus ad mortem? Tunc diximus: Domine nescio, nec locum cognosco. Dixit: scire debes, quòd hic est Delphinus Viennensis, qui propter peccatum luxuriæ sic est à DEO percussus: nunc ergo cavete, & Patri vestro potestis dicere, ut sibi caveat de similibus peccatis, vel pejora accident vobis. Nos autem compassi illi Delphino Viennensi, nomine Guidoni, cujus avia fuerat soror aviæ nostræ, & ipse erat Filius sororis Regis Ungariæ Caroli I. interrogavimus Angelum, utrum posset confiteri ante mortem? & contristatus eram valde. Respondit autem Angelus dicens: Habebit confessionem, & vivet aliquot diebus. Tunc vidimus in parte sinistra aciei multos viros stantes, amictos pallijs albis, quasi essent viri magnæ reverentiæ & sanctitatis, loquebanturq; ad invicem, respicientes supra aciem, & supra ea quæ gesta erant, & bene ipsos notavimus. Nec tamen gratiam interrogandi habuimus, nec per se Angelus retulit, qui, vel quales essent viri illi tantæ reverentiæ. Et subito restituti fuimus ad locum nostrum aurorâ jam inclarescente. Ibi veniens Thomas de Nova villa, miles Diocesis Leodiensis, Camerarius Patris Nostri, excitavit nos dicens: Domine, quare non surgitis? jam Pater vester paratus ascendit equos. Tunc surreximus, & eramus contracti, & quasi fessi, sicut post magnum laborem itineris. Et diximus sibi: quòd vadamus, cum hâc nocte passi sumus tanta, quòd nescimus, quid facere debeamus. Tunc dixit nobis: Domine quid? & diximus ei: Delphinus mortuus est, & ipse Pater noster vult congregare exercitum, & procedere in auxilium Delphino, qui guerrat cum Comite Sabaudia. Nostrum auxilium non proficit sibi, quia mortuus est. Ipse verò nos derisit illâ die, & Pater cum rescisset, increpans dixit: Noli credere somnijs! Post aliquot ergo dies venit nuntius ferens litteras, quòd Delphinus, congregato exercitu suo, venerat ante quoddam castrum Comitis Sabaudia, & quòd de una ballista magnâ sagittâ in medio omnium militum suorum fuisset sagittatus, & post aliquot dies confessione habitâ mortuus. Tunc Pater noster auditis litteris dixit: Miramur valde super his: quia filius noster mortem ipsius nobis antea prædixerat, &c. *hac*  
Carolus

A medico A  
medei F.

Visiois hu-  
jus Veritas.



Carolus in vita sua. Retulit hanc quoque visionem Eneas Silvius, C. 33. hist. Boh. additque eam visionem Carolum à gravibus quibusdam adolescentie vitijs inii. deterritum, vitam in melius commutasse: at, ego id frustra adjectum existimo; negat enim (vitam suam describens Carolus) se adolescentie vitijs inquinatum, Deoq; gratias agit, quod se ab ineunte etate in suo timore innoxium servavit.

Caroli IV. contra Eneam Sylvium defensio.

**Die Paschatis Coronatio celebrata.** Id omnes

affirmant qui de ea egerunt, ut Raynaldus in Annalibus Ecclesiasticis, Argentinas, Hagek, Crato, Dubravius, M. S. Chronicon Glacense &c. Fuit tum Pascha 5. Aprilis, ut asserit Weleslavius in Calendario. Unus Cuthenus dissentit, qui die S. Ambrosij Rome coronatum Carolum A. 1356. scripsit, quod omnino defendi non potest. Decepit fortasse Cuthenum Fundatio Monasterij Ambrosiani A. 1355. in Nova Civitate Pragensi ad rivulum Boticz à Carolo Cæsare facta Monachis Benedictinis, ex Rubrica S. Ambrosij Psalmos canentibus, quam ipse ad diem coronationis factam putavit. Aberat tum Romam Pontifex Innocentius VI. suosq; Legatos misit, qui Carolum coronarent: Coronarunt, ut ait Crato, Petrus Bertrandus Gallus, & Ægidius de Albernotijs. Errat M. S. Chronicon Glacense, quod à Cardinali Hostiensis, sub Urbano Papa VI. coronatum Carolum narrat, cum Urbanus jam ante tres annos sit mortuus.

Cutheni error.

**Carolus Pontificis Romani autoritate stabilita.**

Semper mihi improbabile visum est, quod Gualterius noster in Chronologia sua memorat: Carolum Romam hæc conditione accepisse coronam, ut confestim Italiã excederet; id se legisse in Promtuarium Iconum insigniorum hominum Anno 1578. edito. Miror tam illustrem Scriptorem uni illi promtuarium, & Imaginibus, quæ dubie plerumque fidei, & incerta autoritatis sunt, credidisse. Atqui Carolum Romam cum exercitu aggressum, & licet ultro à Civibus dederetur, recusasse, & conjurationis manifestos Proceres captos, Pontifici Avinionem misisse Pius II. aliq; magna autoritatis Scriptores affirmant. Adeoq; sapius prostratam autoritatem Pontificum erexisse, nedum affectasse,

Carolus Cæsar Pontificis dignitatis defensor vide C. 10. l. 8.

En. Silvius C. 33. hist. Dubrav. l. 22. Hagek A. 1355. Philip. Bergomas in Chronico.

cc

flectasse,



fectasse, aut suspicionem Romæ occupanda præbuisse, ipsūq; Urbanum contra Vicecomites Mediolanenses defendisse, ostendit Dubra. L. 22. Vide, quæ supradixi L. 2. C. 10. in fine. Fatendum quidem est Carolum Anno Imperij sui primo jurejurando Clementi pollicitum de non ambiendo Urbis Imperio, item Urbem Romam, nisi eâ die, quâ ornamentis Imperialibus decorandus foret, non ingressurum, eâ tamen religione, ut ait Raynaldus, ipsius Innocentij Pontificis litteris fuerat exsolutus.

### S. Catharinæ Templum addito Cœnobio.

*Ea de re Martyrologium Vetus Ecclesia Pragensis (7. Cal. Decembris) hæc habet: Passio S. Catharinæ Virginis & Martyris. In cujus honore Clementissimus Princeps Carolus IV. Romanorum Imperator semper Augustus, & Bohemiæ Rex fundavit Monasterium Monialium S. Augustini Fratrum Eremitarum in Nova Civitate Pragensi, quibus donavit de Reliquijs, & de oleo ejusdem Virginis.*

### Vehebat in Bohemiam S. Viti Corpus.

*Ea de re hæc habet Martyrologium Vetus Ecclesia Pragensis 17. Cal. Julij: S. Viti brachium B. Wenceslaus Martyr & Dux Bohemiæ, vocatus ad Curiam Imperialem, pro reverentia & sanctitate sua ab Imperatore obtinuit &c. At Imperator Carolus IV. veniēs Lombardiam impetravit in Pavia Civitate Corpus S. Viti Martyris Patroni Bohemorum, quod & transtulit abinde ad Pragensem Ecclesiam, & recondito corpore eodem in Tumba marmorea retro Altare majus, Caput ejusdem Sancti decoravit auro & argento.*

355. ARNESTUS Ecclesiæ suæ commodis intentus, Diocesin visitat, pluraque alia statuit ex ejus utilitate & dignitate.

CA-



## CAPUT XV.

**N** Arraverã antè sapius, quantã quãmq; sollicitã ac tene-  
 rã pietate Ecclesiã suã commodis semper studeret *Ar-*  
*nestus*, cujus rei argumento esse possunt, *Liber Statuto-*  
*rum*, *Synodus Diocesana*, tot excitata Tempa, scripti  
*Erectionum Libri*, multãque alia *Privilegia* à summis Pontificibus  
 impetrata, de quibus postea nobis sermo recurret; hujus tamen  
 Anni 1355. sine, laboriosissimum, sed longè utilissimum opus au-  
 spicatus, nescio an non priora omnia sua studia, & in Ecclesiam,  
 merita superãrit. Nam, cùm non ignoraret, quantum commodi  
 adferre soleat, præsens rerum ipsarum inspectio, in rem præsenti-  
 tem venire, salutarique consilio totam *Diocesi* suam, tum per se,  
 tum, quia unus omnia non poterat, per suos obire ac lustrare,  
 constituit. Bene à Columella scriptum memini: *fecundum in a-*  
*gro esse pedem Domini*; quantum putamus cœlestis fecunditatis  
 accessisse populis à sacris *Arnesti* vestigijs; cùm etiam de priva-  
 torum hominum, qui Evangelium prædicant, itineribus oraculo  
 divino canatur: *quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evan-*  
*gelizantium bona!* quid à sacrorum Antistitibus, & Episcoporum  
 pedibus expectandum, quantã ad eorum vestigia in populorum  
 animis, & præparatis ad cœlestes fatus cordibus, virtutes exsur-  
 gunt! Neque istud consilium ex utilitate tantum, sed ex necessi-  
 tate potiùs ortum habuit, cùm *Ecclesias Bohemia ac Moravia*, dum  
 Moguntino Antistiti nuper subjacerent, ab hominum memoria  
 nonnisi *semel visitatas* fuisse, *Clemens* Pontifex in Diplomate, quo  
 Archiepiscopatum Pragensem instituit, conqueratur. Ea porrò  
 lustratio ut ritè atque ex ordine perageretur, admonuit extremo  
 anno *Diocesi* *Arnestus*, addiditque utilissima alia præcepta, quæ  
 servari religiosissimè ab omnibus suis cuperet. Exemplum Decre-  
 ti, ex manuscripto, pervetustòque Codice Bibliothecæ nostræ Pra-  
 gensis nuper exscripti, cujus Decreti summa capita recitabo: *In-*

*Arnestus*  
*Diocesi* su-  
 am visitat.

*L. 3. C. 10.*

*L. 1. de vira-*  
*stica.*

*Vide Notas su-*  
*C. 3. lib. 20.*

*C. c. 2.*

*bet.*



206 DE VITA VENERABILIS ARNESTI LIB. II.  
bet in primis Provincialia statuta, nuper à se condita, Populo expli-  
cari, specialia item Ecclesiarum singularum Statuta ( quæ ait à se  
conscripta ) diligenter, ac religiose servari. Monet omnes, ut se ad  
visitationem Diœceseos futuram comparent. Vetat Clericos igno-  
tos, suspectos, multoq; etiam minus infames, aut proscriptos recipi  
& absolvi. Jubet Festum Lanceæ & Clavorum Domini, Feria VI,  
post Octavam Pasche solenniter celebrari ( de quo Festo historiam  
se concinnasse, quam ut populo predicent, placere addit: Sacra-  
rum Reliquiarum festum diem Octavo post S. Stephanum Marty-  
rem die in Ecclesia Pragensi religiosissime coli. Jubet ut omni ad  
populum concioni Oratio Dominica & Apostolorum symbolum pra-  
mittatur. Ad extremum inter Missarum solennia osculum Pacis  
porrigendum esse, eamq; in rem XL. dierum Indulgentias concedit.  
Data litteræ Pragæ A. 1355. in die B. Lucæ Evangelistæ. Anno  
Archiepiscopatus XII.

## Notæ in Caput XV.

**E**xemplar Decreti. Titulus edicti hujus in M. S.  
Codice inventi hic fuit: Statutum minus Domini Arnesti  
Archiepiscopi Pragensis, videlicet de Lancea, & Clavis  
Domini, & est etiam provinciale.

Provincialia Statuta. De his Statutis egi pridem

l. 2. C. 4. Tanta verò copia, totq; exemplaria eorum Statutorum inter  
manuscriptos libros in bibliothecis Bohemia inveniuntur, ut nihil eo  
libro sit communius. Vidi ipse quàm plurimos auro ac serico cum um-  
bilicis involutos, plerosque in membranis eleganter, & ad summam  
gratiam pictos; in Bibliothecis Monasteriorum per Bohemiam, Mo-  
raviam, atque etiam (quod mirère) per Austriam libros Statutorum  
Arnesti sapius inveni. Vnde non satis mirari Pontanum Ecclesia  
Pragensis Metropolitana Decanum possum, qui Statuta Arnesti ra-  
rissime reperiri, seque tria tantum exemplaria vidisse scripsit,

Pont. à Brei-  
enberg in  
Præfat. ad  
Statuta Ar-  
nesti.

Statu-



**Statuta specialia per nos data.** *Hinc Arnesti incredibilem diligentiam colligas, qui Provincialibus Statutis non contentus, pro quibusdam Ecclesijs particularia condidit, sed ea nunquam mihi contigit videre.*

**Historiam concinnasse.** *Quàm multa ab Arnesto scripta perisse necesse est, cum hæc, quæ eo tempore in manibus omnium versabantur, & quibus nihil communius, utpote tot exemplaribus comprehensa, tamen amissa sint, & ad nos ab antiquitate non pervenerint.*

**Festum Reliquiarum octavo post S. Stephanum die.** *De hoc festo vetustissimum Metropolitana Pragensis Ecclesie Martyrologium manu scriptum, quod coram Archiepiscopo inter sacras Sacerdotum preces quotidie legebatur in Templo, hæc habet: Quarto Nonas Januarij festum Allationis omnium Reliquiarum, quas Christianissimus Princeps Carolus IV. Romanorum Imp. semper Augustus, & Bohemiæ Rex, in diversis mundi partibus magnis obtinuit precibus (prout in suis locis infra singulariter describuntur) & easdem Reliquias auro, argentoque & gemmis pretiosissimè ornatas donavit Ecclesiæ Pragensi. Hoc festum Papa Innocentius VI. ad instantiam dicti Imperatoris, constituit in Diocesi Pragensi solenniter celebrari, & omnibus ipso die Ecclesiam Pragensem visitantibus, confessis, & contritis donavit Indulgentiam unius anni, & unius quadragenæ perpetuis temporibus duraturam.*

Martyrologium S. Ecclesie Pragensis M. S.



1356.

1357.

Librum pulcherrimum, cui titulus Laus Mariæ, Diœcesi suæ commendat Arnestus; & sacra præsidia adversus pestem gravissimam comparat.

## CAPUT XVI.

Amor divi-  
nus amat  
corrivales.

Mainhardi  
de Novado-  
mo Episcopi  
Tridentini  
affectus in  
DEI Matrè.

**A** Moris profani natura est rivales odisse; cum enim finitus rerum creatarum & brevis sit amor, timent, qui amant, nè, diviso in plures amore ad unum, ex eo minus perveniat; contra cœlestis & à DEO inditus amor, infinitatem, quandam complectens animo, cum DEUS infinitus univerforum amori facere satis possit, non modò indignatur, si unà secum, DEUS & boni cœlites ab alijs amantur, sed gaudet etiam amoris societate, nihilque optat magis, quàm ab omnibus eos, quos divino amat amore, deamari. Talis in sanctissimis Viris semper affectus enituit, ut amorem suum, communem alijs quoque facere percuperent; talis *Arnestus* noster, qui etsi in *DEI Matrè* amanda nemini unquam vellet concedere, tamen cum eam ab alijs quoque amari videret, gestiebat, nihilque habebat optatius. Erat id temporis in *Bohemica* nobilitate vir magnus. *Mainhardus de Novadomo* (quod in *Slavatica* gentis gloriam, quæ à *Domino de Novadomo* descendit, dictum esto) qui cum se totum divinis rebus contemplandis consecrasset, & Ecclesiæ utilitatibus servire statuisset, tantos fecit in virtute, scientiisque cœlestibus progressus, ut denique *Tridentina Ecclesia Pontifex* legeretur. Hic nullum faciebat finem vel *Arnesti* (cui peramicus erat) exemplo, vel suis etiam.



etiam auspicijs, *DEI Matrem* amandi, itaque de ea ejusque laudibus sanè perelegantem *Librum* (cujus ego exemplar in vetusta Bohemiæ Bibliotheca inventum, pulcherrimo scripturæ antiquissimæ genere exaratum apud me seruo) *Arnesto* probandum obtulit. Habet is Liber in singulos anni dies, Lectiones ex sanctis Patribus concinnatas, magnâ semper Divæ Virginis commendatione. Neque ex vano titulum libro fecit *Laus MARIÆ*; nam quidquid veteres Græci, Latinique Ecclesiæ Patres in laudem Virginis attulere, complectitur, novis semper ac novis quotidie laudibus. Non existimo unquam hoc justum Volumen ad typum pervenisse, optabile foret si Patronum inveniret. Præfixa est Libro *Arnesti* probantis authoritas, quam approbationem, (quia singularem in *DEI Matrem* amorem sapit) non erit abs re forsitan hoc loco recitare.

ARNESTVS DEI & Apostolicæ  
Sedis gratiâ Sanctæ Pragensis Ec-  
clesiæ Archiepiscopus.

**U**niversis & singulis Clericis, secularibus & Religiosis cujuscunque statûs, aut conditionis, aut præminentia existant jure ordinario nobis subjectis, ac omnibus Christi fidelibus, per & infra nostram Dioecesim constitutis salutem in Dño sempiternam. Notum sit Vniversitati Vestræ, quòd accedens ad nostram præsentia Venerabilis in Christo Frater & Dominus, Dominus Mienhardus de Nova-Domo electus Ecclesiæ



clesiæ Trident; exhibuit, & præsentavit quendam libellum nuper de novo editum, ad laudem & honorem Beatissimæ MARIÆ Virginis, qui intitulatur laus MARIÆ, petens à nobis cum instantia, quatenus benignius annueremus, ut per Clericos nostræ Diœcesis, quibus placeret, & quorum corda rangeret Spiritus sanctus, series dicti Libri ad cursum Beatæ Virginis successivè pro lectionibus legeretur, non obstantibus lectionibus ad cursum ipsum ab antiquo legi assuetis, & constitutione nostra, & prædecessorum nostrorum quacunque, & nihilominus dictas lectiones devotè legentibus certas Indulgentias ad promerendum vitam æternam concederemus. Nos itaque precibus huiusmodi justis & rationabilibus favorabiliter annuentes, & præsertim per hoc Venerabili & intemeratæ Virgini MARIÆ, ex cuius partu felicissimo de super cœlestis throni fulgore, humano generi non ambigimus, imò apertè cognoscimus, interminabilis felicitatis augmentum divini muneris incessabili profluvio derivari, speciale præconium laudis procurare & efficere cupientes, omnibus verè poenitentibus, contritis & confessis, qui dictas lectiones de novo compilatas ad cursum legerint devotè, pro qualibet die, XL. dies

Indul



Indulgentiæ de injunctis eis pœnitentijs misericorditer in Domino condonamus, insuper præfenti constitutione misericorditer dispensamus: Quòd hi, qui hujusmodi novas lectiones tenuerint, ad alias quæ priùs legi consuetæ sunt, ut præfertur, non sint aliquatenus alligati & adstricti harum, quibus sigilla nostra sunt appensa testimonio litterarum. Datum in Raudnicz Anno Domini M. CCC. LVI. die XXII. mensis Decembris.

Haftenus *Arnesti* litteræ, quas ea de causa attuli, nè hoc quoq; , ut cætera, sancti Viri monumentum periret. Utinam, si quid in veteribus Bibliothecis ad *Arnestum* spectans reperiatur in posterum, ad gloriam viri olim tam honorati augendam, vulgetur!

Jam ad alterum, quod in capitis titulo narraturum me promiseram, accingor: Tanta annis illis pestilentia *Europam* invaserat, ut *vivi sepeliendi mortuis agre sufficerent*, ut loquitur *Raynaldus*. Descripsere hanc tantam calamitatem plurimi eorum temporum Scriptores, ac præcipuè *Petrarcha*, qui eam ab A. 1348. usque ad 1361. ait, *sepius orbem transcurrisse*. Nec *Bohemia* malum pepercit, quanquam historicorum nostrorum silentium mirari satis non possum, qui eam aut præterierunt, aut obiter inveniunt. Neq; dubium mihi unquam fuit, *Arnestum* Archiepiscopum, Principem bono populorum genitum, mira quædam (ut postea in Fame) in tanta temporum calamitate ad corporum & animorum salutem egisse, sed ut dixi, destituebar historicorum præconio. Nuper cum aliud agens in *Bibliotheca S. I. Crumloviensi* libellum quendam *Adami de Winorze Metropolitanæ Ecclesiæ Pragensis Archidiaconi* legerem, de *Arnesto*, quod optabam, inveni. Est liber hic Anno 1599. *Praga* editus, cum *Bohemia* pestis vexaret, nève sine autoritate scriptum putes, præfixa libro est

Pestis in toto orbe regnat.

Annal. Eccl. Tomo XVI.

an. 1351. & alibi 1348.

Cranzsius in

Vandalia l. 2.

C. 29:

Petrarcha l. 3.

ver. senil. ep. 1.

Rehdorff. &

Argentm. in

Chronico.

Admonitiones

ad populum &

Orationes in

peste 1599. A-

dami de VVil-

norze.

Da

Berca:



Berco laudatissimi sub Clemente VIII. Pragensium Antistitis ad populum admonitio. Ex eo igitur libello censura Archiepiscopi, & prefatione probato & honorato, & à viro nobilitate & doctrinâ insigni conscripto, ea quæ de *Arnesto* s. leguntur, totidem propè verbis ex Bohemico reddam: *Cùm*, inquit, *sub Carolo IV. Divina Majestas. Regnum Bohemia bonis omnibus locupletasset, auròq; & argento ditasset, homines ut sit, nimia felicitate & opulentiâ gravante, in plurima lapsi sunt vitia; quare offensum Numen, gravi peste immisâ Regnum afflixit, eâq; tam fonticâ, ut qui egrotare cepisset, ipso protinus die miserrimè, summòq; cum cruciatu animam exhalaret.* *Fidelis Pastor gregis sibi concrediti Arnestus Archiepiscopus, videns gravem DEI manum super peccatores extensam, cum is esset, qui, ut sacra littera loquuntur, inventus est justus, & in tempore iracundie factus est reconciliatio, nulli pepercit labori, viâq; omnes populo monstravit, quibus à se DEI indignationem avertere, & placare Numen offensum posset.* *Quare cum in Arce Carlsteinensi pretiosissimas Sanctorum corporum Reliquias A. 1357. composuisset, post Cesaream in urbe Metensi coronationem advectas, ad correctionem sibi concrediti populi eorum animum convertit, in eadèmq; arce eodem autumno in presentia Caroli Caesaris patentes litteras toto Regno spargendas scripsit ad omnes sibi subiectos, quarum Exemplar fide dignissimum apud Cathedralē nostram Ecclesiam hucusq; servatur, cujus epistola principium istud est: Quandoquidem, ut innumeris constat exemplis, aegritudinem animæ, aegritudo quoq; corporis sæpe consequi solet, & post emendationem vitæ, divina vindicta plaga avertitur à populis; hinc nuper evenit ante pauculos hosce annos, ut cum gravis Pestilentia, ob multitudinem & magnitudinem criminum nostrorum in Patria regnârit, nosq; plagis admoniti, penitentiam egimus, & peccata iterare cessavimus, plaga quoq; nostra etiam cessavit; at nunc, cum ad peccata priora, ut canes ad abominabilem vomitum redire solent, nos quoq; revertimur, & forsitan (quod non sine amaritudine nostri cordis adjicimus) non veremur pejora prioribus perpetrare, Pests rediens gravius in nos incumbit. In priori sanè pestilentie tempore, hominibus afflatis Misericordia DEI nos ad penitendum*

Arnestus irâ  
DEI feliciter  
extinguere  
conatur.

Nota.



nitendum dies, ut plurimum, concedebat, nunc verò eo quo afflan-  
tur die, subito ut animalia ratione carentia exturbantur è vita, &c.

Hoc ab *Arnesto* litterarum frustulum Scriptor citatus retu-  
lit, reliquum, etsi maximè cuperem nancisci, non potui. Addit ta-  
men, quæ tum in Bohemia peste regnante statuerit *Arnestus*: erant,  
inquit, per totam Bohemiam quotidiana constituta Sacra, ac præ-  
cipuè die Mercurij ac Veneris supplicatio publica ducebatur, canen-  
bantur Litania, sequebatur ad populum exhortatio, cujus argumen-  
tum semper esset pœnitentia, & quàm noxium foret, eam procrastina-  
re; monebantur, ut, præter esuriales, qui incidebant, dies, die  
Mercurij carnibus abstinerent, potationes, omnémq; scurrilem latio-  
riam omitterent, & injurias mutuò condonarent. Hæc citatus  
ille liber, qui cum præterea de *Arnesto* contineat nihil, caput hoc  
concludo. Ex his tamen pauculis, velut ex ungue, licebit conijcere,  
quantâ fortitudine, murum sese pro domo DEI objecerit *Ar-  
nestus*, quantùmque ad iracundiam Divini Numinis placandam,  
contulerit.

Pietatis ope-  
ra Pestilen-  
tiaz tempore,

## Notæ in Caput XVI.

**M**ainhardus de Nova-Domo. *Plures* Main-  
hardos de Novadomo in historiis legimus, sed hic, de quo  
nobis sermo, non est Mainhardus, ille armis inclytus, qui  
Taboritarum temporibus egregiam Catholicæ rei navavit operam, qui-  
que Taboritas hæreticos in campis ad Kolinum singulari stratagemate  
exceptos occisione occidit, de quo memorabili factò Sylvius, Hagek,  
Dubravius, Cochlaus ac Theobaldus scripserunt. Mirum tamen  
alicui videatur, nullam hujus Mainhardi Episcopi Tridentini apud  
historicos nosros, & Paprociu n de Familia Dominorum de Nova-  
domo scribentem, extare memoriam. Fuerunt verò illis seculis com-  
plures ex Nobilitate Bohemæ, qui ad Episcopatus extra Patriam  
sunt promoti, aut postulati, ut de Rosenibus, Novodomenibus,  
Waldsteini's, Sternbergicis, aliisq; pluribus constat.

Ex Bohemica  
Nobilitate  
complures  
Episcopi &  
Archiepisco-  
pi. Vide lib.  
nostr. Noti-  
tia Regni  
Bohemiz.



Arnesti mo-  
numenta  
pleraque pe-  
siere.

Nè Arnesti monumentum periret. *Scriptisse multa Arnestum vita Scriptores commemorat. Sed unde illa petes? vix Mariale & Statuta Provincialia habemus, cætera perierunt: ut historia, & sermo de Lancea & Clavis Domini, Statuta singularia Ecclesiarum per Bohemiam, libellus de Reliquijs Sanctorum, Epistola Parænetica de Pœnitentia, aliâq; & forsitan majora plura.*

Tanta Annis illis pestilentia. *Descripsere eam, ut antè dixi, plurimi Scriptores, multaq; ad eam avertendam certatim ab Episcopis instituta. Ob eam itidem causam, Flagellantium coetus in Germania præcipuè institutos, notat in Annalibus suis eorum temporum Scriptor Rebdorffius, qui (Flagellantes) ut laudabili Pietatis impetu coeperant, sic infelici, & scelerato exitu Pietatem hanc volaticam finierunt. Porro ea pestis non uno, alterove anno, sed amplius dieennium ab A. 1348. tenuit. Indiculus quidam historicus M. S. quem apud me seruo, notat Anno adhuc 1361. Pestilentiam sevisse: Anno, inquit, 1361. fuit tam gravis in Bohemia pestis, ut ex centum vix unus posset sanari. Sanguis illis profluebat. Hæc ille. Satis igitur fertilem Misericordia materiam Arnesto misericordis, tam calamitosa tempora præbuerunt.*

1357.

1358.

1359.

Arnestus in Arce Carlstein Sacella consecrat, & Foundationem confirmat. Libros Erectionum condit. Mansionarios Pragæ fundat. Ordinem Servorum Beatissimæ Virginis tuetur.

CA-



## CAPUT XVII.

**I**Nter hæc *Arx Carlsteinensis* pulcherrima, eoque sæculo mun-  
nitissima, cimelijs Regni asservandis, & solitudini Principis, Arx Carlstei-  
nensis fun-  
datur. occultaque pietati destinata, perficitur. Decennium inte-  
grum ejus arcis ædificatio tenuit. In eam toto ferè Christiano  
orbe quasitæ Sanctorum corporum exuvia, maximâ *Caroli, & Arnesti Archiepiscopi* voluptate conduntur. Ob quarum reve-  
rentiam *Carolus & Arnestus* sanxerunt, nè fæmina ulla (*Reginas*  
iplas difertè nominant) *quâcumq; dignitate, aut meritiò fulgens* in  
arce audeat pernoctare; cui rei, *Cæsar* aliam in proximo *Arce*  
extruxit, quæ *Karlik* dicebatur, in quam recipi illæ possent. Sed  
major Sanctorum corporibus à Sacerdotijs fundatis honor accel-  
sit: summam foundationis ex ipsis *Caroli* litteris, ut certior narra- Litteræ datæ  
Anno 1357.  
6. Cal. April. tio sit, brevissimè collectam, recitabo, piaculum enim videretur,  
rem tam illustrem, & *Arnesti* consilij autoritatèque stabilitam,  
ignavo silentio præterire. Excurrit igitur in litteris Foundationis  
*Imperator* primùm in *Crucis Christi*, quam *altare cruentum* vocat,  
commendationem; laudat *clavos*, quibus confixa Mundi salus  
est, tum *Lanceam*, quæ latus Christi aperuisset, & *spongiam*, quæ os  
divinum contigisset. His sanctissimis Ecclesiæ monilibus, & mor-  
tis Christi honorandæ studio incensum, impetrâsse à *Venerabili*  
*Arnesto, Principe, & Archiepiscopo Pragensi* facultatem, atque hæc  
in perpetuum fundâsse. In primis *majorem Capellam* in honorem Caroli Cæsa-  
ris pietas &  
veneratio  
Divorum. *Beatissimæ Passionis*, & instrumentorum ejus honorem & gloriam;  
tum alteram *Capellam minorem* in venerationem dignissimæ DEI  
Matris *MARIÆ*; tertiam *S. Nicolao* Episcopo, aliam *S. Vir-  
gini Catharine* (quos duos Cœlites post DEI Matrem amabat præ-  
cipuè) atque ultimam *S. Martyri Palmatio*. In prima, secunda,  
& tertia *S. Nicolai* Capella, æternum DEO omnipotenti quoti-  
dianumque Sacrum fieri debere; in ultima *S. Palmatio* certis tan-  
tum diebus, quos dies ibidem *Imperator* expressit. In eam rem

D d 3

quinque



quinque Canonicos cum Decano nunc se instituere (nominatque certissimas ac verè Regias pensiones) plures postea Canonicos additurum, quibus ditissimè ex bonis regijs provideatur: Recitatuos eos quotidie cum *Choralistis* devotè, & cunctanter officium, ac quotidie instituta sacrificia peracturos. Plura alià denique ad DEI cultum spectantia, decernit. Subscribit his litteris *Arnestus* 6. Cal. April. A. 1357. aliique Imperij, & Bohemiæ Proceres, in quorum præsentia magnâ celebritate Capellas duas primas, quas diximus, atque ultimam *S. Palmatij* hoc tempore consecravit *Arnestus*. Nam *S. Nicolao*, & *S. Catharinæ* sacram novennio antè dedicarat, & consecrarat.

Hägel. A. 1348.  
Paprecius in  
Arnesto.

Libri Ere-  
ctionum ab Ar-  
nesto fun-  
dantur.

Diligentia  
Venerabilis  
Præsulis.

Annus sequens 1358. utilissimi operis unicum authorem habet *Arnestum*, qui sibi hoc immortalis facti post futuras omnes ætates demeruisse videtur; atque utinam, ut illa magno perpetuòque labore inchoata sunt, sic ætas posterior æstimare sciat, & imitari invictam & adamantinam veterum in scribendo constantiam. Ergo proposito Edicto *Venerabilis Archiepiscopus*, Memorias sacras omnes, litteras Foundationum; monumenta Ecclesiastica quæcunque per Bohemiam inveniri potuerunt, ad se primo quoque tempore adferri jubet; ijs allatis & probè examinatis, diviso in Canonicos, aliòsque idoneos viros labore, omnium Templorum, Capellarum, Ecclesiarum, Collegiatarum, Cœnobiorum, verborum omnium, quæ Ecclesiastici juris essent *Foundationes*, *Erectiones*, & *Origines* divisit & disposuit, idque ab ipsis Christianæ Religionis in Bohemia initijs, ad sua usque tempora deduxit. Hoc facto, peritissimis Scriptoribus pretio advocatis, laborem voluminibus per annos divisum attribuit, qui omnia ex originalibus, trabalibus propè litteris, describerent. Ingens sine dubio, vastus, & multis annis perpetuus labor, felix tamen ad extremum, & qui facilem exitum haberet, cum novi recentèsq; ad laborem scriptores accederent, aliique ex Clericis (ut *Arnestus* providè divisit officijs singulorum prospexerat) argumentum, alij verba, quibus ad perpetuam memoriam inscribi deberent, alij tantum manum, & scriptionis laborem commodarent. Crevere inde aliquot *Vo-*

*lumenta.*



lucina, quæ omnes Ecclesiarum divitias, velut Tabulæ in Regnis solent, continebant: non enim *Arneſtus* templorum origines annotare contentus fuit, sed omnes ditioes Ecclesiarum, *Capellaniæ*, *obligationes*, *altaria*, quæ pensiones haberent, census item omnes, modò perpetui æternique forent, solerter adijci jussit: itaque in ijs *Libris*, si vel sexagena-grossorum annua Templo, vel altari promissa sit, eam inscriptam invenies etiam Indulgentiæ, & spirituales Templorum gratiæ ibidem leguntur. Spectantur hodiè que grandia aliquot (nam Decadem superant) volumina, tantâ magnitudine, ut Fastorum libros, & non volumina, sed magnos Annalium, ut ita dicam, infantes te existimes videre. Mundissimè scripta omnia, litteris grandibus, & in tam firma papyro, ut nihil membranæ concedat. Ex his voluminibus Antiquitates Illustriû Familiarum, *Bartholomæus Paprocius* magnâ parte descripsit. Ac sanè nescio quid accommodatiùs, & gratiùs ad memoriam inveniri possit, cum etiam pro tenui beneficio in Ecclesiam collato, æternitas nominis donetur. Quantum hoc opere de Illustribus in Bohemia Familijs *Arneſtus* sit meritis, difficile foret explicare! quot heroibus vitam dedit, qui in Angliæ in occulto jacuissent, *zabam* quandam (ut Græci dicunt) *addidit trophæis*, quæ nomina mortuorum ad vitam è tumulis citarentur. Audi vi egregium nostræ Societatis Virum, qui multarum Cathedralium Ecclesiarum per utramque Germaniam monumenta coràm inspexerat & lustraverat (quippe *R. P. Joanni Bollando*, à cujus immortalis labore Sanctorum vitas habemus, memorias veteres submittere solitus) cum in Bohemiam venisset, viso Cathedralis Ecclesiæ Pragensis Archivio, & hisce voluminibus tantâ diligentia scriptis, hæsisse attonitum, deïn exclamâsse, nihil se usquam simile usurpâsse oculis, fælicemque Ecclesiam, quæ tantâ antiquitatis diligentia, niteretur! *Acta* vocari eos libros, ait *Hagecius*, at libri ipsi, quorum compendia quædam vidi & legi, libros *Erectionum* se vocant. Hoc igitur regium prorsus, & augustum Opus, *Venerabilis Arneſti*, longæ in ætates omnes providentiæ debetur.

Magnum hoc quoque tempore à *Carolo Casare*, Pragensi Ecclesiæ

*Eonapius in  
Drophanis.  
Nascetur Choni-  
ates in histor.*

*Hagek A. 1311.*



Mansionari-  
orum in Ec-  
clesia Pra-  
gensis funda-  
tio.

clesiæ decus accessit. *Arnesto* agente, *Mansionariorum*, ut vocabantur, institutio: his lautissime alimenta, vestes, pretium suppeditabatur à Rege perpetuo stabilique censu, numerus ad quatuor & viginti ascendebat; eorum munus erat die noctuque psalmos Davidis, quibus mirè *Carolus* tenebatur, altâ contentâque voce, eodémque tenore, in *Ecclesia S. Viti* alternis legere; nec exire templo dabatur, nisi cum divina à Canonicis & Vicarijs officia peragebantur. Nam omne ferè matutinum tempus Canonici, aliique Sacerdotes occupabant sacris & horis faciendis, dicendisque. Versperini etiam temporis non modicam partem; hæc *Mansionarij* nox quædam, & reliquum tempus respiratio fuit.

Ordinē Ser-  
vorum Bea-  
tissimæ Ma-  
riæ in Bohe-  
miam advo-  
cat *Arnestus*,  
amat, ac tue-  
tur.

Sed novus iterum apud *Arnestum* ex Pietate oritur labor: Is cum Ordinem sibi in Italia *Avenione* familiariter notum (*Servos Beatissimæ Virginis* vocant) Bohemiæ deesse videret, *Carolo* tam egregios Viros in Bohemiam advocandi, consilium dedit. Equidem arbitror non modò facta Religiosissimorum hominum divina, sed etiam nomen *MARIÆ*, apud amantem *Arnestum*, plurimum valuisse. Levissimis sæpè momentis impelluntur amantes, & pars amoris est, volaticâ quadam cupiditate in suas flammæ omnia rapere. Advocantur protinus sex Divinæ Matris Servuli, quibus Imperator in honorem *Incarnati Filij DEI*, seu *Annunciationis Beatissimæ Virginis* (ita enim in litteris vocat) 24. Martij prædie, *Annunciationis B. MARIÆ* Templum, & domum, angustam illam quidem, sed elegantem, jactis cum *Arnesto* fundamentis, sub *Arce Wissehradensi* excitavit.

M. S. Vitis.

At *Venerabilis Arnestus* Ordinem ipsum Religiosum, qui id temporis à malevolis multum patiebatur, sibi tuendum & ornandum sumsit. Ergo litteris totâ Diocesi publicatis adversus vim, & invidiam, *Religiosos Patres* instruxit, præterque morem suum, suavissimis & placidissimis moribus Præsul (ut loquuntur historiarum) anathema dixit, quicumque eum Ordinem vexare, litibus fatigare, aliâve ratione *Servis Beatissimæ Virginis* molesti esse audent. Ingens istud amoris in eum Ordinem indicium meritò videri possit ab *Arnesto*, qui nè suas quidem Fundationes anathemate le-



re legitur defendisse. Hic Divinae Providentiae mos est, dum acerime oppugnantur, sui praesidium contra firmissimum, unde minime putes, advocare.

Per id tempus late per Bohemiam fusa Pietas, sub religiosissimo Praesule laetissime efflorescebat & regnabat: statuebantur passim religiosi Ordines domicilia, praesidia vitae parabantur, surgebant Tempia, erigebantur & dotabantur altaria, divinis laudibus omnia personabant. Consulantur *Erectionum Libri*, haec omnia per Titulos recitantes. Ad anni hujus finem, *Arnestus Altare S. Crucis Arnovia* in Bohemia à Fratibus de *Turgow* erectum, & opinio Sacerdotio exornatum, litteris amplissimis, rogatu spectabilis Principis *D. Purchardi Comitis Magdeburgensis Imperialis Curia Magistri*, qui tum Civitatem illam tenebat, confirmavit. Plena vetustas est ejusmodi literis ab *Arnesto* Archiepiscopo datis, quibus Coenobia, Tempia, Altaria fundat, dotat, gratijs & Indulgentijs prosequitur & confirmat; sed hanc unicam hoc loco retuli, quia *Arnesti* litteras *Arnovienses* in manibus habeo.

Arnovia Altare S. Crucis dotatur.

1359.

## Notæ in Caput XVII.

**R**eliquiae toto ferè Orbe Christiano quaesita.

*Nihil mihi unquam fidei esse velim, si id probare non possim: rarissima cerre & pretiosissima Reliquia, quas Pragæ hodieque habemus, videntur: atque utinam illud revocaretur in morem, ut quotannis certo die, publico in loco, populo monstrarentur! id quondam Noribergæ, dum Urbs Catholicam Religionem tueretur, in ipso foro ad celebritatem peragi solebat. Scio Pietatem gentis Bohemae, etsi afflictissima, & paupertate sua laborantis; minorem tamen hodie non futuram. Index Reliquiarum Pragensium saepe jam typis datus est, quem describere hoc loco se per vacancum duxi. Vide Vestigium Bohemiae P. R. P. Alberti Chanowsky S. J. & Hagecum: Arcus formosissima Carlsteincnsis descriptionem ipsi relinquo,*

Votum Auctoris pro cultu SS. Reliquiarum.

Vide l. 7. supra præ C. 13. & præcipue Notæ ibidem.

Et

quis



qui eam saepius inspexerunt, & diligentius sunt contemplati. Quam verò adversus hostes naturà, & arte munita fuerit, longa & pertinax hereticorum A. 1422, obsidio, quam Hagek, & Dubravius, & Bartholomaeus de Drahenicz descripserunt, ostendit.

Vita Origenis Operibus praefixa.

Hesychius Milesius in Didymi Vita ex edit. Isaaci Casauboni.

Adamantinam Veterum in scribendo constantiam. Ob eam constantiam, Origenem Adamantiu cognominatum historia tradunt, quòd assiduo pectoris & indefesso conatu, parturiret libros, & scriberet. Didymus Alexandrinus ab abenensis intestinis Χαλκωνέως cognomen tulit, & supra ter mille & quingentos libros scripsisse perhibetur.

Ex his Voluminibus Origines Illustrium familiarum. Bene, ac sapienter antiquitati, & gloria sua consulit Christiana Nobilitas Ereccionibus Cœnobiorum, Templorum, Altarium, &c. nam ea fundationes à gratissimis hominibus consignate commendantur litteris, & optimè ferunt atatem; idòq, cum Nobilitatis documenta petimus, statim ad Cœnobia & Ecclesias refugimus. Nescio quis Perennitatis Genius Operibus illis insinuetur, quæ ad DEI cultum, & Ecclesia honorem sunt suscepta. Plerumq, à pauperiorum Cœnobiorum Archivis, Regnorum arcana & acta, quamvis mille seris munita, exercitibus defensa, longevitate, & perennitate vincuntur. Quam multas Illustris familias, in extrema historiæ pagella male herentes, Cœnobia ab ijs condita, ad originem suam vetustissimam revocarunt! Vivet semper Regum inclitorum in Cœnobijs memoria! vivent Altovadi Crumlovij; Trebonæ Rosenses; vivent Iglaviæ Waldsteinij; Olomucij, eaq, in vicinia, Sternbergij; Leones Zabrdovicij; Brunæ Bozkovicij; Henrichoviæ Stollij; Clatoviæ Ssvihovij; Chotiesloviæ Wrtbæi; Tynecij Zierotiniij; apud S. Benignam Hazerburgij; aliq, alijs in locis. Nec morisuent Rosenses, Novodomenses, Lobkovicios, Lichtensteinios, Grodecios, Prusinovios, Schlikios, Meggavianos, Sternbergios, Alheimios, Martinicios, Opperstorfios, Sprinzensteinios, Zaubkios, Genifskios, &c. fundata ab ijs totidem, Societati

JESV



C. XVII. *ARN. LIBROS ERECTIO: CONDIT.* 221  
IESU in Provincia Bohemia Collegia, & ad perpetuitatem (non ad onus  
Regnorum) stabilita.

**Mansionariorum.** Ita ex re ipsa sunt vocati, quod  
assidue manerent & versarentur in Templo. Explicuerunt eorum of-  
ficium: Dubravius, & Hagecius. Notandum est, similem Fundatio-  
nem jam pridem in Pragensi Ecclesia, à Vito Decano factam, viro cum  
magna opinione sanctitatis mortuo A. 1271. unde oportet vel perisse  
Mansionarios ante Casarem Carolum, vel ab eo numerum eorum au-  
ctum esse.

**Ordo Servorum Beatissimæ Virginis oppu-  
gnatus.** De hujus Ordinis persecutionibus vide Gianium in An-  
nalibus Servorum Beatissima Virginis, & R. P. F. Cherubinum in  
historia B. Philippi Benitij, maxime L. 2. C. 12. Innocentius V.  
Pont: Max: , omnino statuerat. Ordinem hunc antiquare, sed ex-  
cessit prius e vita, quam posset, quod cogitabat,  
perficere.

Ordo Servo-  
rum B. Ma-  
riae crevit  
patientia



Ee 2

De